

**Historia rerum anglicarum Willelmi Parvi : ordinis Sancti Augustini canonici regularis in cœnobio Beatæ Mariæ de Newburgh / Ad fidem codicum manuscriptorum recensuit Hans Claude Hamilton.**

**Contributors**

William, of Newburgh, 1136-1201?  
Hamilton, Hans Claude, 1811-1895

**Publication/Creation**

Londini : Sumptibus Societatis, 1856.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/jrx6xuuv>


**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>







ZB. 41 (2)



22101103408







HISTORIA RERUM ANGLICARUM

WILLELMI PARVI,

ORDINIS SANCTI AUGUSTINI CANONICI REGULARIS IN

CCENOBIO BEATÆ MARLÆ

DE NEWBURGH

IN AGRO EBORACENSI.



Digitized by the Internet Archive  
in 2016

HISTORIA RERUM ANGLICARUM  
**WILLELMI PARVI,**

ORDINIS SANCTI AUGUSTINI CANONICI REGULARIS IN  
CŒNOBIO BEATÆ Mariæ

**DE NEWBURGH**

IN AGRO EBORACENSI.

AD FIDEM  
CODICUM MANUSCRIPTORUM  
RECENSUIT  
HANS CLAUDE HAMILTON.

VOL. II.



LONDINI:  
**SUMPTIBUS SOCIETATIS.**


MDCCCLVI.





ZB.41(2)

CAPITULA LIBRI QUARTI, pag. 1.

1.  E primordiis regis Ricardi, et de hiis quæ in ejus coronatione contigerunt.
2. De ordinatione vacantium ecclesiarum post coronationem regis Ricardi.
3. De affectu regis ad Joannem fratrem suum.
4. Quis successerit Ranulfo de Glanvilla in procuratione regni.
5. Quæ fecerit rex in Anglia antequam transfretaret.
6. De quodam prodigio, quod eo tempore in aere visum est.
7. Quid actum sit contra insolentiam Judæorum apud Linnam.
8. Quid actum sit contra Judæos apud Stanfordiam; et de quadam superstitione populi.
9. Quæ acta sint contra Judæos Lincolnæ et Eboracæ.
10. De exitio Judæorum apud Eboracam.
11. De ira regis in interfectores Judæorum.
12. Quomodo reges venerunt Siciliam, et quomodo rex Anglorum expugnavit Messanam.
13. De expeditione Teutonica, et morte imperatoris.
14. De insolentia et fastu cancellarii post regis profectionem.
15. Quare rex Rothomagensem archiepiscopum de Sicilia miserit in Angliam.
16. Qua occasione Joannes frater regis restiterit cancellario.
17. De captione Eboracensis archiepiscopi, et expulsionem cancellarii.
18. De ordinatione regni post expulsionem cancellarii, et molitionibus ejus irritis.
19. De processu regum a Sicilia, et impedimentis Christiani exercitus apud Acram.
20. Quomodo rex Anglorum adquisivit insulam Cyprum.
21. Quibus ex causis reges dissidere cœperunt apud Acram.
22. De expugnatione Acræ, et præmaturo discessu regis Francorum.

23. Quæ acta sint a nostris in Syria post discessum regis Francorum.
24. Quomodo Conradus marchio a sicariis interfectus est.
25. Quomodo rex Francorum necem marchionis refudit in regem Anglorum, et de conventu Parisiacensi.
26. Quomodo rex Francorum duxit sororem regis Dacorum, et quomodo repudiavit eam.
27. Quomodo Eboracensis archiepiscopus præcipitavit sententiam excommunicationis in episcopum Dunelmensem.
28. Cur minus actum sit a nostris in Oriente, et de repatriatione peregrinorum.
29. Quomodo rex Anglorum liberavit Joppen; et de induciis Christianorum et Turcorum.
30. Quod, Deo disponente, plus actum sit illa expeditione pro superna quam terrena Jerusalem, et de morte Saladini.
31. Quomodo rex Anglorum naufragium passus, et captus est a duce Austriæ.
32. Quomodo rex Francorum, delusus a filio ducis Saxoniae, speratis nuptiis caruit.
33. Quomodo rex Anglorum per ducem Austriæ devenit in custodiam imperatoris.
34. Quomodo rex Francorum invasit Normanniam, et quomodo Joannes turbavit Angliam.
35. Quomodo Hubertus Salesbiriensis episcopus factus est archiepiscopus Cantuariensis, et de ecclesia contradictionis.
36. Quomodo Hugo Cestrensis episcopus destruxit monasterium Coventrense.
37. De nece Leodicensis episcopi, cujus occasione pene periclitatus est rex Anglorum.
38. Quomodo afflicta sit Anglia per captivitatem regiam.
39. De prodigio ruboris insoliti, ter in aere diversis temporibus apparentis.
40. Quomodo rex Francorum, cum non posset impedire liberationem regis Anglorum, iterum invasit Normanniam.
41. Quomodo rex Anglorum, de captivitate relaxatus, applicuit in Anglia.
42. Quomodo rex, pacificato regno, Wintoniæ coronatus est.

## CAPITULI LIBRI QUINTI, pag. 120.

1. **Q**UÆ acta sunt a rege in Anglia post coronationem suam antequam transfretaret.
2. Quæ acta sunt inter regem Anglorum et inimicos ejus postquam transfretavit.



3. De induciis inter reges statutis, et pace provinciarum præterquam ab exactionibus regiis.
4. Quomodo tironum exercitia tempore regis Ricardi in Anglia esse cœperunt.
5. De reditu Joannis ad fratrem.
6. Quomodo Stephanus quidem a dæmone delusus est.
7. Quomodo ceciderit regnum Normannorum in Sicilia.
8. De horrenda morte ducis Austriæ.
9. Quid Dei ordinatione evenerit in pago Cenomannensi ad correctionem regis Anglorum.
10. De morte Hugonis Dunelmensis episcopi.
11. De tribus spuriis ejusdem episcopi; et quis ei successerit.
12. Quomodo Hubertus Cantuariensis archiepiscopus in Eboracensi ecclesia, nomine legati, celebravit concilium: et de lite quæ vertitur inter Cantuariensem et Eboracensem de primatu.
13. De exercitu Sarracenorum qui ex Affrica Hispanias intravit.
14. De Macumeto pseudo-propheta, et de lege quam per spiritum erroris introduxit; et quomodo eadem lex plurimas gentes infecit.
15. De rediviva post expletionem induciarum guerra regum nostrorum.
16. Quomodo rex Anglorum de nece marchionis purgatus sit per litteras Senis Montani.
17. De bellico post inducias motu regum, et quomodo apud Isoudunum fœdus inierunt.
18. Quomodo principes fœdus initum declararunt, quod diu non stetit; et de motu Britannico.
19. De improvisa morte abbatis Cadomensis in Anglia.
20. De conjuratione Lundoniis facta per quendam Guillelmum, et quomodo idem audaciæ pœnas luit.
21. Quomodo vulgus voluerit hominem illum tanquam martyrem honorare, et quomodo error iste extinctus sit.
22. De prodigio mortui post sepulturam oberrantis.
23. De re consimili, quæ accidit apud Berewich.
24. De quibusdam prodigiis.
- <sup>1</sup> 25. De signo quod visum est in cœlo, et de expugnatione quorundam castellorum.
26. De fame et peste per Angliam grassante.

---

<sup>1</sup> XXV. De signo, etc.] C. H.; quorundam castellorum, L. The  
 XXV. De signo quod visum est in next heading is numbered XXVII.  
 cœlo. XXVI. De expugnatione and so on to the end of the list.

27. Quomodo Alemanni secundo signum Dominicum susceperunt.
28. De dissensione regis Ricardi et Rothomagensis archiepiscopi.
29. De morte Eliensis episcopi, qui cancellarius potius meruit appellari.
30. Quomodo finitum est bellum breve Britannicum et quadragenarium Tolosanum.
31. De captione Beluacensis episcopi.
32. De defectione quorundam a rege Francorum, et qua occasione treuia statuta est inter ipsum et regem Anglorum.
33. De re prodigiosa quæ accidit apud Maltonam.
34. De concordia regis Ricardi et Rothomagensis archiepiscopi, et de prodigiosa quæ accidit apud Andelaicum.



# WILLELMI DE NOVOBURGO

## HISTORIA ANGLICANA.

### INCIPIT LIBER QUARTUS.

#### CAP. I.

*De Primordiis regis Ricardi, et de hiis quæ in ejus coronatione contigerunt.*



ANNO a plenitudine temporis quo Veritas de terra orta est M.C.LXXXIX. sedi apostolicæ præsidente Clemente, Henrico autem Frederici filio arcem Romani imperii tenente, et Francis imperante Philippo, Ricardus, illustrissimi Regis Anglorum Henrici secundi filius, defuncto patri successit. Hic, patre sepulto, hereditati mox transmarinæ incumbens, nobilium simul et plebium solemnibus votis gaudiisque excipitur; rebusque trans mare mature dispositis, in Angliam, quæ ejus cum desideriis præstolabatur adventum, opportune transvehitur; cunctis ex ejus edicto custodiis per Angliam relaxatis, ut scilicet ad introitum novi principis esset lætitia generalis. Quippe æstuabant tunc carceres reorum multitudine, sub expectatione vel discussionis vel supplicii: sed eo regnum ingrediente pestes illæ carcerum per ejus clementiam sunt egressæ, confidentius fortasse de cetero grassaturæ. Statuto die unctionis regię,

Richard I.  
A. D. 1189.



Richard I.  
A. D. 1189.

Coronation  
of Richard I.  
Sept. 3.

Jews are for-  
bidden to  
attend the  
ceremony.

convenit Lundonias pene universa regni nobilitas, de partibus quoque transmarinis copiosa virorum spectabilium multitudo. Ricardus igitur solus regum a seculo ita nominatus, Lundoniis est consecratus in regem, et solemniter coronatus a Baldwino Cantuariensi archiepiscopo tertio nonas Septembris; qui dies ex prisca gentili superstitione malus vel Ægyptiacus dicitur, tanquam quodam Judaici eventus præsagio. Dies enim ille Judæis exitialis fuisse dinoscitur, et Ægyptiacus magis quam Anglicus; cum Anglia, in qua sub rege priore felices et incliti fuerant, repente illis in Ægyptum, ubi patres eorum dura perpassi sunt, Dei judicio verteretur. Res quidem recentis memoriæ est, nullique ignota præsentium; sed operæ pretium est pleniori relatu transmittere ad posteros tam perspicui circa gentem perfidam et blasphemam superni judicii monumentum. Convenerant ad solemnem Christiani principis unctionem ex cunctis Angliæ finibus non tantum nobiles Christiani verum etiam primi Judæorum. Caventes enim iidem hostes veritatis ne forte habita sub rege priore felicitas minus eis arrideret sub novo, ejus decentissime honoranda primordia et favorem non disparem amplitudine munerum redimendum duxerunt. Verum ille vel minus jam eos acceptans quam pater, vel nescio quid præcavens, superstitiosa quadam de consilio quorundam cautela, edicto, ut dicitur, interdixit eis ingressum vel ecclesiæ dum coronaretur, vel palatii dum post coronationis solemnia convivaretur. Expletis igitur missarum solemniis, rex fulgens diademate cum pompa magnifica ad convivium intravit. Contigit autem, eo discumbente cum omni frequentia nobilium, populum circa palatium observantem tumultuari. Judæi siquidem turbis immixti, fores



sic regias introibant. Unde indignatus, ut fertur, quidam Christianus, Judæum palma percussum ab ingressu januæ arcere curavit, regium objectans edictum. Quo exemplo plures accensi, Judæos cum contumelia repellebant: factoque tumultu, indisciplinata cum turbine turba accurrit; credentesque regem talia mandasse, tanquam freti auctoritate regia in multitudinem Judæorum ad fores regias observantium pariter irruerunt. Et primo quidem percutiebant pugno impie, mox vero vehementius efferati sustulerunt ligna et lapides. Porro Judæi fugam inierunt; in fuga nonnulli cæsi usque ad mortem, quidam etiam protriti perierunt. Venerant autem illuc cum ceteris duo nobiles Judæi Eboracenses, Jocus scilicet et Benedictus; quorum prior evasit, sequens vero, dum plagis impositis segnius fugeret, comprehensus, ut mortem differret Christum coactus est confiteri, ductusque in ecclesiam illico baptizatus est. Interea rumor gratissimus, quod scilicet rex omnes Judæos exterminari jussisset, totas incredibili celeritate percurrit Lundonias; moxque infinitus indisciplinatorum populus tam ex ipsa civitate quam ex illis quos illuc ex provinciis plurimis unctionis regię solemnitas traxerat, armatus accurrit, spirans prædarum et cædis in populum Dei judicio cunctis invisum. Porro cives Judæi, quorum multitudo Lundoniis habitare dinoscitur, cum illis qui undecunque confluerant, in domos se proprias receperunt. Circumdantur a frementibus populis fortiterque oppugnantur ab hora nona usque ad solis occasum eadem domus; quæ, quoniam propter fabricam firmiorem effringi non poterant, et furentibus machinæ deerant, igne tectis immisso, horrendum cito colluxit incendium; quod et laborantibus Judæis exitiale fuit, et furentibus Chris-

Richard I.  
A. D. 1189.

A disturb-  
ance created.

Massacre of  
the Jews in  
London.



Richard I.  
A. D. 1189.  
Massacre of  
the Jews in  
London.

tianis in nocturno opere lucis adjutorium præbuit. Nec solis Judæis specialiter in eos accensus ignis nocuit, quia, discretionis nescius, nonnullas quoque proximas Christianorum ædes corripuit. Videres repente clarissima urbis loca flammis civilibus, tanquam hostilibus, miserabiliter conflagrare. Judæi vero vel in propriis torrebantur ædibus, vel egredientes excipiebantur ensibus. Multum sanguinis in brevi fusum est. Verum cito satietatem cædium induxit fortius excandescens cupido prædantium, vicitque avaritia crudelitatem. Denique omissis cædibus, expilandis ædibus et diripiendis opibus rabies avara incubuit. At hoc Christianos versa vice Christianis fecit infestos; dum alius alii quod forte rapuerat invideret, et prædandi studio ne amicis quidem et sociis impia æmulatrix avaritia parceret. Nunciantur hæc regi festive in palatio cum omni procerum frequentia convivanti; mittitur a latere ejus Ranulfus de Glanvilla, regni procurator, vir potens et prudens, cum aliis æque nobilibus, ut vel flecteret vel frenaret audaces. At id frustra. In tanto enim tumultu nullus eorum aut vocem auscultavit aut faciem honoravit; quin potius quidam indisciplinatiores fremere adversus eos cœperunt, et ut maturius recederent terribiliter denuntiaverunt. Illis igitur effrenatam rabiem consulte declinantibus, tanta licentia quanta et audacia usque ad sequentis diei horam secundam desæviere prædantes, et tunc sæviendi magis satietas vel lassitudo quam vel ratio vel reverentia principis prædantium sedavit furorem. Hoc eatenus inaudito regiæ civitatis eventu, et egregie inchoato perfidæ gentis exitio, et nova Christianorum contra inimicos crucis Christi fiducia, insignitus est regni illustrissimi regis Ricardi dies primus, plane non tantum



juxta regulam qua jubentur ambigua in melius potius quam in deterius derivari, verum etiam juxta significationem aptissimam Christianæ in diebus ejus promotionis præsaus. Quid enim aptius portendit, si quid portendit, quod regiæ consecrationis ejus diem pariter et locum blasphemæ gentis nobilitavit exitium, quod in ipso regni ejus exordio hostes Christianæ fidei cœperunt juxta eum cadere et infirmari? Non ergo sic moveat quemquam vel urbis in quadam ejus parte incendium, vel insulsus ille fervor indisciplinatorum, quo minus præclari eventus bonus fiat piusque interpret: cum et hujusmodi supernæ moderationis ordini militent, impleatque Omnipotens plerumque voluntatem suam valde bonam per hominum etiam nequissimorum voluntatem et actionem valde pravam. Sane rex novus, cum esset ingentis animi et ferocis, indignatus, et dolens quod in suæ coronationis solemnibus regnique primordiis sub ejus præsentia talia contigissent, æstuabat, anxius quidnam super hiis esset agendum. Tantam quippe et sine exemplo majestatis regiæ læsionem dissimulare atque inultam dimittere, et regi nimis indecorum et regno quoque noxium videbatur; cum tantæ atrocitatis dissimulatio per impunitatis fiduciam improborum ad attentanda similia nutritura foret audaciam. Porro in infinitam reorum multitudinem censuræ regiæ vigorem exercere prorsus erat impossibile: nam præter nobiles cum rege convivantes, quorum tantus erat numerus ut regii amplitudo palatii angusta videretur, fere totum civitatis populum et fere totas nobilium familias quæ cum ipsis nobilibus ad unctionis regiæ solemnia venerant, odium Judæorum et prædarum illecebra ad memorati operis patratiorem contraxerant. Dissimulari

Richard I.  
A. D. 1189.  
Massacre of  
the Jews in  
London.

Richard I.  
A. D. 1189.  
Massacre of  
the Jews in  
London.

ergo oportuit quod vindicari non potuit, Deo nimirum ordinante ut qui divinæ in perfidos et blasphemos ultionis ministri extiterant, humano propter hoc judicio minime sisterentur. Superni quippe examinis ratio exigebat ut blasphemi illi, qui tempore superioris principis supra modum cervicosi et protervi in Christianos fuerant, in successoris ejus primordiis humiliarentur. Benedictus vero ille, qui, ut dictum est, lavacrum Christianum coactus acceperat, corde quidem non credens ad justitiam sed inani tantum oris confessione aerem verberans, in crastino perductus ad principem, interrogatus est ab eo an esset Christianus? Qui respondit se a Christianis baptizari coactum, sed animo semper fuisse Judæum, et talem se malle mori, cum jam non posset vivere, plagis enim pridie acceptis urgebatur ad mortem. Ejectus ergo a facie principis, Judæis est redditus apostata Christianus, factusque filius gehennæ duplo quam prius, post dies paucos defecit, ad hoc tantum Christianus factus ut apostata moretur. Princeps autem post cladem Judæis pacem edicto sancivit; qua tamen, ut suo loco narrabitur, non diu sunt fructi, superno utique judicio exigente blasphemæ gentis superbiam severius castigari.



## CAP. II.

*De ordinatione vacantium ecclesiarum post coronationem regis Ricardi.*



N primis sane rex novus studium habuit ut quoniam plures in Anglia cathedrales vacabant ecclesiae, propriis ad ejus instantiam eadem gauderent praesulibus. <sup>1</sup>Ricardus ergo Eliensis, thesaurarius regius, sedem accepit Londoniensem; <sup>2</sup>Godefridus Luciensis cathedram Wintoniensem; <sup>3</sup>Willelmus de Longo-Campo, cancellarius regius, episcopatum Eliensem; <sup>4</sup>Hubertus Eboracensis decanus, ecclesiam Salesbiriensem. Porro <sup>5</sup>Gaufrido fratri suo, qui ad Lincolnensem ecclesiam olim electus, annis, ut suo loco dictum est, plurimis eidem ecclesiae ad metenda ejus carnalia incubaverat, <sup>6</sup>et inde tandem amotus, cancellis regiis usque ad patris decessum praefuerat, concessit rex metropolitanam sedem Eboracensem, cum jam vacasset annis ferme decem. Cujus Gaufridi electionem talem fuisse cognovimus. Patre defuncto, novi ducis, adhuc in Normannia constituti, litterae arte, ut dicitur, quo-

Richard I.  
A. D. 1189.

<sup>1</sup> Richard Fitz-Neale, dean of Lincoln, consecrated bishop of London, 13 December, 1189.

<sup>2</sup> Godfrey de Lucy, consecrated bishop of Winchester, 1 November, 1189.

<sup>3</sup> William Longchamp, consecrated 31 December, 1189.

<sup>4</sup> Hubert Walter, dean of York, elected to the bishopric

of Salisbury, 15 September, 1189.

<sup>5</sup> Geoffrey Plantagenet, natural son of Henry II. archdeacon of Lincoln, consecrated archbishop of York, 18 August, 1191, the see having been vacant ten years.

<sup>6</sup> *Et inde . . . praefuerat.*] C. H. L.; omitted R.



Richard I.  
A. D. 1189.

rundam ejusdem Gaufridi elicite ad capitulum Eboracense manarunt, Gaufridum fratrem suum in archiepiscopum eligi postulantes, atque obsistentibus regii motus periculum comminantes. Quibus litteris territi atque præstricti præcentor et ceteri qui aderant, nam decanus et plures alii aberant, ad solam futuri principis gratiam respicientes, memoratum Gaufridum solemniter elegerunt. Verum cum idem, sumpto diademate, regno præsideret paterno, eidem electioni succensuit, litterisque illis quibus præstricti fuerant eligentes tanquam vel non suis vel certe surreptitiis derogans, pro necessitate tamen Jerosolymitanæ expeditionis ingentis summæ promissione placatus, tandem assensum præbuit. Qualia vero circa eundem electum postmodum provenerunt, suo loco exponetur.

### CAP. III.

*De affectu regis ad Joannem fratrem suum.*



**D**ÆTEREA circa Joannem fratrem suum uterinum rex proprium egregie declaravit affectum. Nam præter paternæ in Hibernia acquisitionis plenitudinem, et comitatum in Normannia Moritanensem, de quibus scilicet paternam donationem ratam habuit, in regno Anglorum tanta illi adjecit ut quasi tetrarcha videretur. Denique Cornubiam, Devenesiram, Notingehamesiram, Loncastrum cum adjacente provincia, atque alia plurima de regio dominico contulit; et nihilominus illi Gloucestrensis comitis filiam, propriam scilicet in quarto gradu consobrinam, cum integritate juris paterni, quod esse amplissimum noscitur, minus quidem legitima et plus justo

fraterna provisione, despondit. Verum hæc ejus in fratrem immoderata atque improvida largitas, multa et gravia mala sequenti tempore peperit, et profusum largitorem profunda pœnitudine castigavit. Indulta enim Joanni tetrarchia, fecit eum ambire monarchiam : unde et factus est de cetero fratri infidus, et ad ultimum manifeste infestus : quod nimirum plenius exponendi suum in ordine historiæ locum habebit.

Richard I.  
A.D. 1189.

## CAP. IV.

*Quis successerit Ranulfo de Glanvilla in procuratione regni.*



RAT autem idem adhuc regni procurator qui fuerat tempore regis prioris, Ranulfus scilicet de Glanvilla, homo præclaræ prudentiæ. Qui cum esset grandævus, et videret a rege novitio multa minus consulte et provide actitari, hujus officii onere expediri voluit, ut ad Jerosolymitanam se profectionem, nam signum Domini sub rege Henrico susceperat, commodius præpararet. Solemniter ergo renunciâns officio, minus legitimos habuit successores. Idem quippe officium Dunelmensi episcopo, nec obluctanti a rege, commissum est : qui nimirum consultius proprio contentus officio, divini juris multo decentius quam humani minister extitisset ; cum nemo possit utrique, prout dignum est, deservire, atque illud dominicum ad apostolos, “<sup>1</sup> Non potestis Deo servire et mammonæ,” maxime successores apostolorum respiciat. Si enim velit episcopus, ut cœlesti pari-

Ranulph de  
Glanville re-  
signs the  
office of Lord  
Justiciary of  
England.

<sup>1</sup> Non.] Matthew vi. 24.



Richard I.  
A.D. 1189.

ter et terreno regi placeat, ad utrumque se officium dividere, certe rex cœlestis, qui sibi vult ex toto corde, tota anima, tota mente serviri, ministrum dimidium non approbat, non diligit, non acceptat. Quid si episcopus nec saltem dimidius quæ Dei sunt et decent episcopum exequatur, sed vices suas indignis et remissis executoribus committat, ut terreno vel palatio vel foro totus deserviat? Nam nec terreni principis ratiocinia quisquam dimidius sufficienter administrat. Quamobrem memoratus pontifex, cum jam esset grandævus, officio seculari suscepto, in australibus Angliæ partibus ad publica totus negotia residebat.

## CAP. V.

*Quæ fecerit rex in Anglia antequam transfretaret.*



UNC idem rex Anglorum, qui primus potentum, cum comes adhuc Pictavensis diceretur, dominicum signum acceperat, circa Jerosolymitanam profectionem studiosius satagens, instante maxime rege Francorum ut tempore congruo iter simul arriperent, et moram quam interposuerant apparatu propensiore purgarent, sumptus idoneos modis cœpit omnibus præparare. Neque enim thesauros patrios, et quæcunque pater specialiter ad illam profectionem congesserat, sufficere judicavit; sed suam quoque industriam et operam in hoc ipso expendens, citra patris vel in hoc consistere gloriam duxit inglorium. Evocavit igitur mandatis urgentibus regem Scottorum, inveterata laborantem tristitia pro castellis, bellico, ut superius memoratum est, sibi casu ablati,



scilicet Rokesburgh et <sup>1</sup>Berewich. Nam tertium, quod dicitur Castellum Puellarum, sub rege Henrico receperat, cum conjugem ejus voluntate et consilio de partibus acciperet transmarinis. Veniens itaque ad regem Anglorum, pactus est ei decem milia marcas argenti pro resignatione castellorum; remeansque ad propria, eandem a subditis imminetia regiæ potestatis summam corrasit: qua regi Anglorum soluta, cum multa lætitia castella recepit. Dunelmensem quoque episcopum, quem pecuniosum esse credebat, rex novus astute pellexit ut emeret a se proprii episcopatus provinciam, essetque ejusdem provinciæ episcopus simul et comes, annexo episcopatu comitatu. Quod et factum est, quam excogitato astu principis ut pecunias episcopi tolleret, tam immoderato ambitu grandævi episcopi episcopatu, qui opulentissimus noscitur, in illa ætate non contenti, nec reputantis illud propheticum, immo per prophetam dominicum, “<sup>2</sup>Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis:” ut comitatum ad episcopatum conjungere, quod utique majus est non curaret. Dedit ergo regi pro emendo comitatu quicquid pro Jerosolymitanæ profectio-  
nis apparatu congesserat, et quicquid insuper corradere poterat de episcopatu. Et ipse quidem de hujusmodi mercimonio glorians jocabatur. Rex vero facetias inde conficiens ita jocabatur, “De vetusto episcopo novitium comitem mirus ego artifex feci.” Cum autem idem episcopus hoc modo se nudasset pecuniis quas sacræ propter Christum peregrinationi devoverat, illud quoque consequenter studuit irritare quod in solemni cru-

Richard I.  
A. D. 1189.

The castles  
of Berwick  
and Rox-  
burgh sold  
to the king  
of Scots.

The bishop of  
Durham is  
created earl  
of Northum-  
berland.

<sup>1</sup> *Berewich.*] Berewikeh, L.

| <sup>2</sup> *Væ.*] Isaiah v. 8.



Richard I.  
A. D. 1189.

The king  
raises money  
by selling  
the royal  
demesnes.

Reports of  
the bad state  
of the king's  
health.

cis susceptione omnipotenti Domino voverat. Cumque apud Romanum pontificem per nuncios non diceret, "Comitatum emi, et ideo Jerosolymam proficisci non possum, rogo te habe me excusatum," quod quidem vere dixisset, sed potius fatiscentem causaretur ætatem, seque tam laboriosæ peregrinationi minus sufficere allegaret, propriæ conscientiæ relictus, illico signum sacrum solemnî devotione susceptum irreverenter et infrunite abjecit, et inventæ apud regem pretiosæ margaritæ, pro qua tanta dederat, possidendæ incubuit; quæ tamen uti nunc cernere est, non solida, sed pro rerum et temporum mutatione, brevis et perfunctoria possessio fuit. Sane rex eadem arte qua hujus episcopi sacculos exhausit, alios quoque plures pellexit, ut effusis pecuniis certatim dignitates sive libertates quaslibet, vel publica officia, vel ipsa etiam prædia regia compararent. Distrahebat itaque propria mature profecturus, tanquam animum redeundi non habens. Cumque ab amicis propter hoc familiari ausu increparetur, respondisse fertur, "Lundonias quoque venderem, si emptorem idoneum invenirem." Denique in hac distractione desipere videbatur: eoque proclivius emebant pluri quo nunquam repatriaturus credebatur. Præmaturo namque et immoderato usu armorum, quibus ab ingressu adolescentiæ plus justo indulserat, ita jam fractus et languidus dicebatur, ut Orientalis labore expeditionis cito absumendus videretur. Alii vero dicebant eum quartano incommodo, quo diu laboraverat, ita corruptum et tabidum, ut diu non posset in illo maxime tam grandi labore subsistere; hujus rei argumentum esse indecentem quandam, quæ in eo apparebat, cum pallore faciei membrorum corpulentiam. Aiebant etiam quidam, quod plusquam centum in corpore haberet usturas

pro evaporanda corruptione humorum. Tales de rege per aures, et fere per ora omnium volitabant rumores: quibus utique fidem dabant indiscretæ atque immoderatæ ejus vel donationes, vel distractiones; et credebatur, tanquam cito se finiendum intelligens, minus de regno curare quod ita vel scinderet vel dissiparet. Verum quam subtili hæc astu vel fecerit vel finxerit, ut omnium qui pecuniosi videbantur sacculos exhauriret, postea claruit. Mensibus autem aliquot in Anglia demoratus, regni administratione cancellario suo, episcopo scilicet Eliensi, relictæ, ante dominici natalis sollemnia Normanniam transfretavit. Succensebant ei fere omnes, quod rex nobilis peregre profecturus in regiones longinquas, minus solemniter regnum proprium reliquerit: et remissiozem quam oportuit ejus curam, cum egrederetur, habuerit, et quod homini peregrino obscuri nominis, et minus probatæ vel fidei vel industriæ, absque consilio et voluntate optimatum, rerum summam crediderit. Utrum vero recte an secus in hiis regiæ fuerit ordinationi derogatum, sequentis est temporis eventibus declaratum.

Richard I.  
A.D. 1189.

## CAP. VI.

*De quodam prodigio, quod eo tempore in aere  
visum est.*



MEC silentio prætereundum est stupendum nimis terribileque prodigium, quod circa hæc tempora in Anglia visum est a multis, qui usque nunc sunt testes ejus ad eos qui non viderunt. Est super stratam publicam qua Lundonias

A crucifix is  
seen in the  
sky at Dun-  
stable.



Richard I.  
A.D. 1189.

pergitur, vicus haut ignobilis <sup>1</sup>Dunstapla nuncupatus : ibi dum forte quidam hora postmeridiana in cœlum suspicerent, viderunt in sublimitate sereni aeris formam vexilli dominici lacteo candore conspicuam, et conjunctam ei formam hominis crucifixi, qualis in ecclesia ad memoriam dominicæ passionis et devotionem fidelium pingitur. Stabant autem stupefacti, fixis rem mirabilem oculis intuentes. Quorum stuporem et erectos in cœlum vultus, plurimi, strata publica gradientes, mirati : ipsi quoque suspicere, et visa rei novitate pariter stupere cœperunt. Cum ergo terribilis hæc species diuscule appareret, et curiose intuentium vultus animosque suspenderet, visa est forma crucis ab eo qui affixus videbatur recedere, ut medium aeris spatium inter utrumque notaretur, et paulo post res stupenda disparuit : sed causa stuporis sublata effectus remansit. Denique late vulgatum est verbum istud, reique prodigiosæ rumor et stupor pariter cucurrerunt. Interpretetur quisque ut voluerit signum mirabile, cujus utique didici simplex esse narrator, non etiam præsagus interpret ; quid enim divinitas eo significare voluerit nescio.

---

<sup>1</sup> *Dunstapla.*] H. L. ; Dunstapela, C. R.

## CAP. VII.

*Quid actum sit contra insolentiam Judæorum apud  
Linnam.*



UM igitur, ut supradictum est, illustris rex Anglorum Ricardus regno, ut volebat, disposito Normanniam transfretasset, solemne cum rege Francorum colloquium habuit: ubi ambo inter se mutuæ societatis jura firmantes, et germanam alterutrum compromittentes caritatem, Orientali se expeditioni cum viris nobilibus qui signum Domini acceperant fortius astrinxerunt, et tempus profectionis æstatem proximam statuerunt. Quibus solemniter actis, uterque se princeps pro sua et negotii magnitudine præparabat. Sane dum hæc in Galliis agerentur, Christianorum adversus Judæos in Anglia zelus Lundoniis, ut dictum est, paulo ante accensus vehementer excanduit; non quidem sincere, id est, causa fidei tantum, sed eorum vel æmulando felicitatem vel inhiando fortunis. Arbitrabantur audaces et cupidi obsequium se præstare Deo dum spoliarent vel perderent homines Christo rebelles; et agebant, sine ullo vel minimo conscientiae scrupulo, hilari furore propriæ cupiditatis negotium: Dei quidem justitia talia minime approbante, sed decenter ordinante ut hoc modo gentis perfidæ coerceret insolentiam, et linguas frenaret blasphemias. Apud urbem commeatu et commerciis nobilem quæ Linna dicitur, ubi ejusdem gentis plurimi habitabant, et sua multitudine, et opum magnitudine, et tuitione regia feroces, primus, ut accepimus, ad-

Richard I.  
A. D. 1189.  
Massacre of  
the Jews at  
Lynn.



Richard I.  
A.D. 1189.  
Massacre of  
the Jews at  
Lynn.

versus eos motus est factus, occasione hujusmodi. Cum forte quidam ex eorum superstitione ad Christianam esset fidem conversus, ejus tanquam desertoris et prævaricatoris sanguinem sitientes, quærebant opportunitatem malitiæ consummandæ, raptisque quodam die armis aggressi sunt transeuntem: porro ille in ecclesiam proximam se recepit. Nec quievire sævientes, sed pervicaci furore et impetu eandem ecclesiam oppugnare cœperunt, ut effractis foribus profugum ad pœnam extraherent. Ingens eorum qui erant in <sup>1</sup>eadem ecclesia clamor attollitur. Christianum sonoris vocibus auxilium flagitatur. Clamor et fama Christianum populum accendunt, qui cominus erant, ad clamorem: et qui eminus, ad famam armati accurrunt. Et loci quidem incolæ propter metum regium remissius agebant: porro peregrini juvenes, quorum illuc multitudo negotiandi gratia venerat, superbos belligerantes fortius impetebant. Illi vero, dimissa oppugnatione ecclesiæ, cum Christianorum impetum ferre non possent, fugam inierunt. Cæsis in fuga nonnullis, domus eorum expugnatae atque expilatae a Christianis, flammis tandem ultricibus conflagrarunt, et eorundem plurimi hostilem vel ignem vel gladium cruentarunt. Sequenti die superveniens quidam Judæus, insignis medicus, qui et artis et modestiæ suæ gratia Christianis quoque familiaris atque honorabilis fuerat, cædem suorum paulo immoderatus deploravit, et quasi ultionem prophetans, spirantem adhuc furorem instigavit. Quem mox Christiani correptum, ultimam ibidem Judaicæ vesaniæ victimam fecerunt. Peregrini juvenes præda onus-

---

<sup>1</sup> *Eadem.*] H. L.; omitted, C. R.

ti, repetitis navibus, ne quam forte a ministris regiis sustinerent quæstionem, celeriter abierunt. Loci vero incolæ, cum propter hoc discuterentur a regiis, in peregrinos, qui jam abierant, factum re-fuderunt.

Richard I.  
A. D. 1190.

## CAP. VIII.

*Quid actum sit contra Judæos apud Stanfordiam, et  
de quadam superstitione populi.*



OST hæc apud Stanfordiam novi ad-  
versus Judæos turbinis motus sur-  
rexit. Cum enim ibidem Quadrage-  
simali tempore solemnes nundinæ  
agerentur, juvenum, qui signum do-  
minicum Jerosolymam profecturi susceperant, ex  
diversis provinciis multitudo supervenit, indignans  
quod inimici crucis Christi ibidem habitantes tam  
multa possiderent, cum ipsi ad tanti itineris sump-  
tus minus haberent, et ab eis tanquam injustis  
possessoribus extorquendum duxerunt, quod sus-  
ceptæ peregrinationis necessariis usibus applica-  
rent. Arbitrantes itaque obsequium se præstare  
Christo, si hostes ejus impeterent quorum bonis  
inhiabant, audacter irruerunt in eos, nemine vel  
ex loci incolis vel ex hiis qui ad nundinas vene-  
rant tantis se ausibus opponente, nonnullis vero  
etiam cooperantibus. Cæsi sunt aliquot ex Ju-  
dæis, ceteri vero intra castellum recepti ægre  
evaserunt. Expilatæ sunt domus eorum, et magna  
vis pecuniæ capta. Prædones cum sui operis emo-

Massacre of  
the Jews at  
Stanford.

<sup>1</sup> Christo.] H. L.; Deo, C. R.



Richard I.  
A. D. 1190.  
Massacre of  
the Jews at  
Stamford.

lumento abierunt, nullusque eorum propter hoc studio disciplinæ publicæ sustinuit quæstionem: quorum unus, Joannes nomine, audacissimus juvenis Hamtoniam divertens, partem pecuniæ suæ deposuit apud quendam, a quo etiam, ejusdem pecuniæ ambitu, occulte necatus est, corpusque ejus per noctem extra urbem projectum. Quo invento, et a quibusdam forte agnito, clandestinam iniit fugam avarus homicida. Mox somniantibus vetulis atque apparentibus ibidem fallacium signorum præstigiis, martyrismi illi meritum et gloriam simplices tribuerunt, sepulchrum ejus solemnibus excubiis honorantes. Fama excitum vulgus insipiens, primo ex locis finitimis dehinc etiam ex diversis provinciis curiosa devotione confluebat, nullusque novi martyris cupiens vel intueri miracula vel promereri suffragia, ad sepulchrum ejus vacuus veniebat. Ridebatur quidem hoc a prudentibus, sed tamen gratum erat clericis, ex eadem superstitione provenientium gratia commodorum. Res defertur ad episcopum, eximiae virtutis virum: qui accedens ad locum in spiritu fortitudinis, concinnata studio simplicium et cupidorum falsi martyris insignia prophanavit, et superstitiosam mortui hominis venerationem pontificali auctoritate sub anathematis interpositione inhibuit. Sic pia et efficaci opera boni pastoris tota illa extincta est atque evanuit operatio spiritus illusoris.

## CAP. IX.

*Quæ acta sint contra Judæos Lincolnia et <sup>1</sup>Eboracæ.*



**INCOLNIENSES** vero audientes qualia circa Judæos agerentur, occasionem nacti, et animati exemplis, aliquid audendum duxerunt, et conglobati in cohabitantes Judæos motu subito exarserunt. Porro illi, agnito suorum in locis diversis vel pavore vel exitio, cautiores effecti, paucis discrimen expertis in munitionem regiam cum pecuniis mature secesserunt. Itaque non multa re acta, sed multa per officiales regios quæstione subsecuta, inanis ille motus cito quievit. Verum Eboracensibus non metus ferocissimi principis, non vigor legum, non ratio, non humanitas obstitit, quo minus cohabitantium perfidorum generali exitio furorem proprium saturarent, atque in sua civitate totum illud genus abraderent. Quod nimirum quia valde memorabile est, pleniori ad posteros oportet relatu transmitti. Eboracensium igitur Judæorum, ut supradictum est, primi fuere Benedictus et Jocus, homines locupletissimi et late fœnerantes. Ædificaverant autem in medio civitatis profusissimis sumptibus domos amplissimas, regalibus conferendas palatiis: ibique tanquam duo suæ gentis principes et Christianorum tyranni habitabant, cultu fastuque pene regio procedentes, et duram in eos quos usuris opprimebant tyrannidem exercentes. Qui cum essent

Richard I.  
A. D. 1190.  
Massacre of  
the Jews at  
Lincoln and  
York.

<sup>1</sup> *Eboracæ.*] H. L. R.; Eboracensi, C.



Richard I.  
A. D. 1190.

Massacre of  
the Jews at  
Lincoln and  
York.

Lundoniis in solemnitate unctionis regiæ, Benedictus, ut supra memoratum est, infelicissimum Dei judicio sortitus exitum, maledictus apparuit; Jocus vero ægre ad tempus subductus discrimini Eboracam rediit; et quoniam princeps post turbinem Lundoniensem pro pace Judæorum legem posuerat, cum ceteris per Angliam Judæis juxta morem pristinum fiducialiter agebat. Rege vero postmodum in partibus transmarinis constituto, conjurarunt adversus Judæos Eboracenses provinciales plurimi; eorum, cum ipsi egerent, opulentiam non ferentes, et sine ullo Christianæ conscientiae scrupulo perfidum sanguinem prædarum cupidine sitientes. Hiis auctores ad audendum fuere quidam nobiliores impiis fœneratoribus in multam summam debitores; quorum nonnulli cum pro accepta pecunia prædia illis propria apposuisent, grandi inopia premebantur; quidam vero cautionibus propriis obligati, ad satisfaciendum regiis fœneratoribus a fisci exactoribus urgebantur; quidam etiam ex illis qui signum dominicum acceperant, jamque in procinctu Jerosolymitanæ profectionis erant, tanto facilius impelli potuere ut ex præda hostium Domini suscepti pro Domino itineris sumptus juvarent, quanto minus propter hoc quæstionem aliquam arrepto jam itinere formidarent. Cumque urbis pars non modica nocte intempesta, vel fortuito vel potius, ut creditur, a conjuratis immisso conflagravisset incendio, scilicet ut occupatis circa ædes proprias propter ignis periculum civibus, impedimentum non esset prædantibus, armata conjuratorum manus domum dicti Benedicti Lundoniis, ut supra memoratum est, infeliciter mortui, in qua uxor ejus et filii cum aliis pluribus habitabant, vi magna et ferramentis ad hoc præparatis irrupit, cæsisque omnibus qui



in ea erant, ignem quoque tectis immisit. Et dum morose vires incendium sumeret, corrasis opibus ardentem domum reliquere, et in suum, tenebrarum beneficio, secretum onusti se recepere prædones. Quo casu consternati Judæi, et maxime clarior ceteris Joceus, arcis regiae custode exorato et connivente, in eandem pecuniarum suarum ingentia pondera tanquam gazas regias convexere, et vigilantiores de cetero suimet cautelam habuere. Post dies vero aliquot nocturni illi prædones cum majori fiducia atque ferocia redeunt, et, aggregatis sibi plurimis, domum Jocei, constructionis magnitudine et firmitate arces non ignobiles æmulantem, fortiter oppugnantes, tandem captam expilatamque incendunt, cunctis quos in ea sinister casus offenderat flamma ferrove absumptis. Joceus<sup>1</sup> enim paulo ante hoc malum caute præsa-giens, cum uxore et filiis in arcem migraverat, similiter et ceteri Judæi, paucis ad victimam foris remanentibus. Prædonibus autem cum tanti ausus emolumento dilapsis, facto mane vulgus promiscuum irrumpit, diripuitque in diversis speciebus et multiplici suppellectile prædonum ignisque reliquias. Tunc demum qui Judæos prius invisos habuerant, cum conjuratis, nullo publici vigoris respectu habito, manifeste et profusa licentia in eos debacchari cœperunt, nec eorum substantiis jam contenti, cunctis extra arcem inventis aut sacri baptismatis aut extremi discriminis optionem dederunt. Denique baptizati nonnulli, fecte se, ut mortem evaderent, Christianis aggregarunt: sine misericordia vero trucidati sunt qui sacramentum vitæ vel fecte recipere detrectarunt. Dum

Richard I.  
A.D. 1190.  
Massacre of  
the Jews at  
Lincoln and  
York.

---

<sup>1</sup> *Enim.*] C. H. L.; autem, R.



Richard I.  
A.D. 1190.

Massacre of  
the Jews at  
Lincoln and  
York.

hæc agerentur, multitudo quæ in arcem confugerat in tuto agere videbatur. Porro arcis præpositus ad quoddam forte negotium egressus, cum regredi vellet, a multitudine intus excubante, incerta jam cui se crederet, non est admissus, ne forte et ejus circa se fides <sup>1</sup> nutaret, et corruptus quos tuendos susceperat hostibus exponeret. Ille vero provinciæ præsidem, qui forte tunc ob regia negotia cum frequentia provincialium militum aderat, <sup>2</sup> confestim adiit, commissæ sibi arcis a Judæis fraudatum se custodia conquerens. Indignatus præses contra Judæos infremuit, illis maxime qui conjurationis auctores extiterant eum inflammantibus, et meticulosam illam miserorum cautelam superbam esse turris regiæ occupationem, atque in domini Regis injuriam hoc ipsum redundare, allegantibus. Cumque multi homines perfidos modis omnibus impetendos arcemque illis regiam extorquendam decernerent, jussit præses convocari populum arcemque oppugnari. Excurrit irrevocabile verbum, plebis Christianæ zelus <sup>3</sup> accenditur, immensæ armatorum tam ex urbe quam ex provincia circa arcem glomerantur catervæ. Tum præses, jussionis pœnitentia stimulatus, frustra conatus revocare sententiam, arcis oppugnationem voluit inhibere: sed accensos semel animos quo minus prosequerentur inceptum, nullo rationis vel auctoritatis pondere valuit cohibere. Sane urbis nobilitas et cives graviores, motus regii periculum formidantes, tantam vecordiam caute declinarunt. Porro omne genus opificum, atque universa juvenus urbana

<sup>1</sup> Nutaret.] H. L. R.; mutaret, C.

<sup>2</sup> Confestim.] C. H. L.; statim, R.

<sup>3</sup> Accenditur.] C. H. L.; accenditus, R.

cum plurima provincialium turba, et militaribus viris non paucis, cum tanta alacritate aderat, instabatque cruento negotio, tanquam singuli proprium maximumque compendium quæerent. Clerici quoque plures non deerant, inter quos etiam quidam eremita ceteris ferventior videbatur. Par omnes zelus accenderat, arbitantes grande se obsequium præstare Deo, si gentem Christo rebellem abraderent; dum ad illud Davidicum, immo Dominicum, quod utique in persona salvatoris dicitur, cæcato animo caligarent: “<sup>1</sup>Deus ostendit mihi super inimicos meos; ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei.” Quippe eadem Christianæ utilitatis ratione perfidus Judæus Domini Christi crucifixor inter Christianos vivere sinitur, qua et forma crucis dominicæ in Christi ecclesia pingitur, ad continuandam scilicet cunctis fidelibus saluberrimam dominicæ passionis memoriam, cum tamen in Judæo impiam <sup>2</sup>execramur actionem, in sacra vero forma illa divinam devotione debita veneremur dignationem: itaque Judæi inter Christianos debent quidem pro utilitate nostra vivere, sed pro sua iniquitate servire. Porro Judæi in Anglia sub rege Henrico secundo consistentes, ordine præpostero super Christianos felices et inclyti fuerant, et ex multa felicitate impudentius tumendo contra Christum plurima Christianis gravamina irrogabant: propterea diebus novi principis vitæ, quam de Christi habebant clementia, justo ejus judicio periculum pertulerunt, cujus tamen judicii ordine pulcherrimo nequaquam excusantur qui motu incondito cladem illis intulerunt.

Richard I.  
A. D. 1190.  
Massacre of  
the Jews at  
Lincoln and  
York.

---

<sup>1</sup> *Deus.*] Psalm lviii. 10, 11. | <sup>2</sup> *Execramur.*] H. L.; execremur, C. R.



## CAP. X.

*De exitio Judæorum apud Eboracam.*

Richard I.  
A. D. 1190.  
Massacre of  
the Jews at  
York.



**N**GITUR Judæi obsidebantur in turri regia; deeratque obsessis sufficiens escarum apparatus, sola proculdubio inedia mature expugnandis, etiamsi nemo foris urgeret. Sed nec sufficientem, sive pro sui tutela sive ad hostes propulsandos, armaturam habebant; quos nimirum imminentes saxis tantummodo interiori muro detractis arcebant. Oppugnatur turris fortiter per dies aliquot, et tandem paratæ admoventur machinæ. Urgebat opus funestum præ multis aliis memoratus ille ex canonico Præmonstratensi heremita, qui fama excitus nuper in urbem venerat, arcemque oppugnantibus in veste alba <sup>1</sup>sedulus aderat, hostes Christi proterendos sæpius cum clamore valido repetens, et suæ quoque cooperationis exemplo belatores accendens. Dicitur autem quod diebus obsidionis processurus ad opus cruentum, hostiam incruentam, erat enim sacerdos, mane immolaverit; in tantum sibi cæcata mente persuaserat, quod et aliis persuadere nitebatur, religiosum scilicet esse negotium quod agebatur. Cumque admoventur machinæ, ferventi animo cooperabatur pro viribus. Unde factum est, ut incautius muro appropians, saxum grande desuper veniens non caveret; denique conquassatus procubuit, et sublatus continuo expiravit. Declaratumque est, quod

<sup>1</sup> *Sedulus.*] C. H. L.; seclusus, R.

ratione vel professionis vel ordinis, major in eo petulantis facti reatus extiterit, quem solum ex nostris ibidem infeliciter occumbere contigit. Admotis itaque machinis certa erat turris expugnatio; nec jam erat ambiguum horam obsessis imminere fatalem. Nocte vero sequenti quievire oppugnantibus, vicinæ victoriæ certitudine hilares. Porro Judæi sola jam desperatione fortes et rigidi, requiem minime habuere, tractantes inter se quid in tali articulo esset agendum. Erat autem ibi senior quidam, juxta litteram, quæ occidit, famosissimus legis doctor, qui ad docendos Judæos Anglicanos, ut dicitur, ex partibus venerat transmarinis. Hic<sup>1</sup> erat honorabilis omnibus, et tanquam uni ex prophetis obtemperabatur ei ab omnibus. Cum ergo ab eo consilium pro tempore quæreretur, respondit: "Deus, cui dici non debet,<sup>2</sup> 'Cur ita facis?' jubet nos pro lege sua mori modo. Et ecce nostra mors in januis est, sicut videtis: nisi forte, quod absit, pro brevitate vitæ hujus sacram legem deserendam putetis, atque eligatis, quod bonis et virilibus animis omni morte est durius, de misericordia scilicet impiorum hostium cum summo dedecore apostate vivere. Cum ergo mortem gloriosam vitæ turpissimæ præponere debeamus, honestissimum plane atque facillimum mortis genus eligendum est. Nam si inciderimus in manus hostiles, pro eorum arbitrio cum ludibrio moriemur. Itaque vitam, quam nobis Creator dedit, cum eam Ipse jam repetat, propriis Illi manibus sponte et devote reddamus; nec ad reddendum quod repetit, ministerium crudelitatis exspectemus hostilis. Hoc enim et multi nostrorum in diversis tribulationibus laudabiliter

Richard I.  
A.D. 1190.  
Massacre of  
the Jews at  
York.

<sup>1</sup> *Erat.*] C. H. R. ; omitted | <sup>2</sup> *Cur.*] Eccles. viii. 4, and  
L. | Daniel iv. 35.



Richard I.  
A. D. 1190.  
Massacre of  
the Jews at  
York.

fecisse noscuntur, formam nobis decentissimæ electionis præstruentes.” <sup>1</sup>Hoc cum dixisset, exitiale consilium amplexi sunt plurimi: quibusdam vero durus visus est hic sermo. Tunc senior, “Quibus,” inquit, “consilium tam bonum piumque non placet, sedeant seorsum ab hoc sancto præcisi collegio; nobis enim præ caritate legis paternæ vita hæc temporalis jam viluit.” Secesserunt igitur plurimi, hostium potius clementiam <sup>2</sup>experiri quam hoc modo interire cum sociis eligentes. Mox ad arbitrium insanissimi senioris, ne suis opibus hostes ditarentur, vestes pretiosas in conspectu omnium ignis absumpsit; vasa vero concupiscibilia et cetera quæ non poterant per ignem transire, artificiosa invidia pudenda repositione damnavit. Quibus actis, et igne tectis immisso qui in solidiori materia, dum res horrenda fieret, morose nutrieretur, eorum quoque, qui ab eis vitæ amore secesserant, vitam correpturus, jugulos ad victimam præparabant. Dictante vero inveterato illo dierum malorum, ut viri quibus constantior esset animus propriis uxoribus atque pignoribus vitam adimerent, famosissimus ille Joceus Annæ uxori carissimæ cultro præacuto guttur incidit, et propriis quoque filiis non pepercit. Cumque hoc et ab aliis viris factum esset, infelicissimus ille senior Joceum, eo quod esset honorabilior ceteris, jugulavit. Absumptis mox omnibus una cum magistro erroris, immisso, ut dictum est, a morituris igne, interiora turris ardere cœperunt. Qui vero vitam elegerant, incendio a suis, ut et ipsi vel inviti comorerentur, concinnato, prout poterant resiste-

---

<sup>1</sup> Hoc.] H. L.; Hæc, C. R. | <sup>2</sup> Experiri.] H. L. R.; exper-  
turi, C.

bant, quædam scilicet sibi turris defendentes extrema in quibus minime urerentur. Stupendus plane irrationalis ille <sup>1</sup>rationalium in semetipsos furor. Verum qui Josephi de Judaico bello legit historiam satis intelligit ab antiqua Judæorum superstitione, cum forte tristior casus incumberet, illam nostri temporis manasse vesaniam. Mane autem facto, cum populus frequens ad expugnandam arcem concurreret, miseræ illæ Judæorum reliquæ stantes ad propugnacula nocturnam suorum cladem voce lacrimabili declararunt, et ad oculatam tanti piaculi fidem extincta cadavera muro devolventes, talia proclamant: "En corpora infelicitum, qui mortem sibi furore nefario conciverunt: et ut nos idem facere detrectantes, Christianamque potius clementiam experiri volentes, vivos incenderent, ignem interioribus turris hujus morientes immiserunt. Sed servavit nos Deus et a fratrum nostrorum vesania, et ab ignis periculo, ut a vobis ulterius in religione minime discrepemus. Vexatione enim dante intellectum, Christianam cognoscimus veritatem, et requirimus caritatem; parati, quod a nobis soletis exigere, sacro baptismo ablui, et pristinis ritibus abdicatis, ecclesiæ Christi uniri. Suscipite fratres <sup>2</sup>pro hostibus, ut unà vobiscum in Christi fide et pace vivamus." Talia illis lacrimose loquentibus, nostrorum plurimi et extinctorum vesaniam cum ingenti stupore horrebant, et cladi reliquos miserabantur: at conjuratorum principes, e quibus erat quidam Ricardus, vero agnomine Mala-Bestia, homo audacissimus, nulla super miseris illis misericordia

Richard I.  
A. D. 1190.  
Massacre of  
the Jews at  
York.

---

<sup>1</sup> *Rationalium.*] C. H. L.; ir- | <sup>2</sup> *Pro.*] H. L.; ex, C. R.  
rationalium, R.



Richard I.  
A. D. 1190.  
Massacre of  
the Jews at  
York.

movebantur. Mitia tamen cum eis in dolo loquentes, et speratam gratiam sub fidei testificatione pollicentes, ut egredi minime vererentur, mox ut egressi sunt, hostiliter comprehensos, et baptismum Christi constanter postulantes, lanistæ crudelissimi peremerunt. Et de his quidem, quos ita plusquam belluina illa confecit immanitas, incunctanter dixerim quia si in petitione sacri baptismatis fictio defuit, ejus nequaquam effectum fraudatos sanguis proprius baptizavit. Sive autem fide sive non fide sacrum <sup>1</sup>petierunt lavacrum, inexcusabilis est execranda illa crudelitas lanistarum. Quorum proculdubio primum scelus est, quod ordinatam potestatem non habentes, humanum, quasi aquam, sanguinem effundere præsumpserunt: secundum, quod livore magis malitiæ quam zelo justitiæ sævierunt: tertium, quod Christianam gratiam petentibus inviderunt: quartum, quod miseros ut egrederentur ad victimam mentiendo fefellerunt. Horrenda plane et foeda tunc rerum erat facies in urbe, et circa arcem passim jacentibus tot miserorum cadaveribus inhumatis. Cæde vero completa, conjurati continuo cathedralem ecclesiam adeuntes, monumenta debitorum, quibus Christiani premebantur, a Judæis fœneratoribus regiis ibidem reposita, ab exterritis custodibus violenta instantia resignari fecerunt, et tam pro sua quam <sup>2</sup>et aliorum multorum liberatione eadem profanæ avaritiæ instrumenta in medio ecclesiæ flammis solemnibus absumpserunt. Quibus actis, illi ex conjuratis, qui signum Domini acceperant, ante omnem quæstionem iter propositum arripue-

---

<sup>1</sup> *Petierunt.*] H. L.; petierunt, C. R. | <sup>2</sup> *Et.*] C. L.; pro, H. R.

runt: ceteri vero in provincia sub quæstionis formidine remanserunt. Sane tempore dominicæ passionis, pridie scilicet ante dominicam palmarum, talia Eboracæ contigerunt.

Richard I.  
A. D. 1190.  
Sat. March  
17th.

## CAP. XI.

*De ira Regis in interfectores Judæorum.*

ES Eboracæ acta mature trans mare defertur ad principem; qui Judæis, post motum Lundoniensem, pacem et securitatem in regno suo lege sanciverat. Indignatur et fremit, tum pro læsione regiæ majestatis tum pro tam magna fisci jactura; fisco enim competit quidquid Judæi, quos fœneratores constat esse regios, in bonis habere videntur. Mox dato mandato ad Eliensem episcopum, cancellarium scilicet regium et regni præpositum, ut tanti ausus patratio condigna plecteretur vindicta, idem episcopus, homo ferocis animi et gloriæ cupidus, circa dominicæ <sup>1</sup>ascensionis sollemnia Eboracam civitatem cum exercitu adiit, et <sup>2</sup>formidissimam civibus intulit quæstionem. Porro principales et famosi rerum gestarum auctores, relictis omnibus quæ habebant in provincia, a facie ejus transfugerunt in Scotiam. Civibus vero constanter proclamantibus, ea, de quibus invidiam sustinebant, suo neque voto neque consilio vel opere accidisse, neque per suam mediocritatem effrenatum indisciplinatae multitudinis impetum impediri potuisse, tandem cancellarius,

Displeasure  
of the King  
at these out-  
rages.

The Chan-  
cellor pro-  
ceeds to  
York with  
an armed  
force.

Many of the  
ringleaders  
flee to Scot-  
land.

The Chan-  
cellor lays a  
fine upon the  
citizens,

<sup>1</sup> *Ascensionis.*] Ascension Day | <sup>2</sup> *Formidissimam.*] H. L. ; for-  
fell on the 3rd of May in this year. | tissimam, C. R.



Richard I.  
A.D. 1190.

and dis-  
places the  
governor.

multa pecuniaria singulis juxta modum fortunarum imposita, satisfactionem, ne severius plecterentur, <sup>1</sup>accepit. Vulgus autem promiscuum et infinitum, cujus zelus inconditus dirum illud maxime patrat negotium, in judicium vocari aut discuti minime potuit. Itaque cancellarius, amoto illo qui provinciae administrationem habuerat, cum non posset efficacius de jure mandatum exequi regium, abiit incruentus; nec usque ad hunc diem pro illo Judæorum exitio aliquis supplicio est addictus.

## CAP. XII.

*Quomodo reges venerunt in Siciliam, et quomodo rex Anglorum expugnavit Messanam.*



**S**EUQUENTI æstate anno a partu virginis M. C. nonagesimo, illustres Francorum et Anglorum reges iter Jerusalemitanæ profectionis ingressi, cum apparatu congruo et exercitu copioso convenerunt <sup>2</sup>Massiliam; factaque ibidem mora necessaria, rex quidem Francorum autumnali tempore prior cum suis copiis secundis flatibus navigavit Siciliam, rex vero Anglorum post discessum regis Francorum diebus aliquot Massiliæ demoratus, tandem classe soluta, cum parente sibi exercitu mari se credidit, flabrisque arridentibus in insulam eandem devenit. Verum qui prior adve-

The king of  
England ar-  
rives at Mar-  
seilles on his  
way to the  
Holy Land.

<sup>1</sup> *Accepit.*] It appears that Longchamp's chief motive in imposing these fines was to procure money for the king, who was pressing for a remittance.

<sup>2</sup> *Massiliam.*] H. L. R.; Mar-

siliam, C. At this time Marseilles was a free trading city, belonging neither to England or France, but acknowledging the suzerainty of the king of Arragon.

nerat, Messanam urbem <sup>1</sup>clarissimam, cum gaudio exceptus a civibus, ad hiemandum elegit; sequens vero, expositis copiis propter ejusdem urbis amplitudinem et multimodam opportunitatem, ipse quoque ibidem socialiter hiemare voluit. Cumque hujus rei gratia quosdam ex suis præmisisset, cives unius ad se regis ingressu contenti, et duorum regum magnorum gravari hospitio renuentes, præmissos a superveniente, paucis eorum in tumultu extinctis, cum contumelia urbe <sup>2</sup>extruserunt. Motus super hoc rex Anglorum, a Messanensibus utrum de illata injuria satisfacere dignarentur duxit quærendum. Illis vero, tam propriarum conscientia virium quam insignium fiducia hospitum, superbe detrectantibus satisfactionem, accensus est princeps ferocissimus ad ultionem. Itaque armari copias urbemque oppugnari præcepit. Cumque in hoc opere suos non tantum urgeret imperio verum etiam animaret exemplo, urbem, aliquamdiu a civibus simul et Francis fortiter defensam, tandem potenter irrupit. <sup>3</sup>Quam paucis suorum amissis victor ingressus, decentem tamen in ultione modum tenuit, et motum animi triumphalis gloriæ voluptate mollivit. Civium ergo vel sera satisfactione et coacta devotione placatus, frenavit impetum, et minas remisit. Moxque pro reverentia regis Francorum urbe egressus, ejusdem illi et suis libenter cessit hospitium: ipse vero

Richard I.  
A. D. 1190.

<sup>1</sup> *Clarissimam.*] H. L. R.; præclaram, C.

<sup>2</sup> *Extruserunt.*] The main cause of Richard's quarrel with Tancred seems to have been on the subject of his sister Joan's dowry. The licentious conduct of the English crusaders, who, accord-

ing to Fazello, "strolled licentiously through the city with much lasciviousness," is given by that historian as the cause which incited the indignant townspeople to eject them from their city.

<sup>3</sup> *Quam.*] H. L. R.; quamvis, C.



Richard I.  
A. D. 1190.

munitione extra urbem constructa castrisque dispositis, ibidem cum suis copiis in omni rerum copia hiemavit. Porro rex Francorum urbis hospitæ irruptionem ad suam trahens injuriam, et pro nihilo ducens indulti hospitii gratiam, implacabilem contra regem Anglorum concepit totisque imbibit medullis rancorem: qui nimirum occultatus pro tempore, erupit suo tempore claruitque orbi terrarum, ut suo loco narrabitur. Sane regibus in Sicilia hiemantibus, ex plurimis quoque regionibus ingentia vernum tempus cum desiderio præstolantium agmina in Dalmatia, Histria, Venetia, sub caractere dominico hiemabant.

### CAP. XIII.

*De expeditione Teutonica, et morte imperatori.*

A. D. 1189.  
The Emperor  
Frederic sets  
out for the  
Holy Land.



The Emperor  
of Constanti-  
nople refuses  
him a pas-  
sage through  
his territo-  
ries,

INTEREA Fredericus imperator Teutonicus, qui anno præterito, hoc est a partu virginis M. C. LXXXIX. cum filio Suevorum duce, et Germanicis copiis iter fuerat, ut superius dictum est, Jerosolymitanum ingressus, lento propter obstacula plurima gradu per superiores ducebat regiones exercitum. Prætergressus enim Pannonias, et progressus ad imperatoris Constantinopolitani provincias, cum ejusdem Christiani principis in negotio Christianissimo favorem optaret, eum paulo secus quam Saladinum invenit. Denique Græcus ille, (nam Græci, cum sint Christiani, non secus immo plerumque etiam ferocius quam Sarracenos abominari Latinos noscuntur,) Græcus inquam ille, ut dicitur, post captam Jerosolymam, foedus cum atrocissimo Christiani nominis hoste Saladino



pepigerat, pollicens quod in terra vel mari ditionis suæ Latinorum in Syriam transitum inhiheret. Cumque imperator Latinus a Græco, Christianus scilicet a Christiano, per nuncios peteret quod olim Israel sub Moyse petierat a Seon rege Amoræo: “<sup>1</sup> Obsecro te,” inquit, “ut transire mihi liceat per terram tuam: non declinabimus in agros et vineas: via regia gradiemur, donec transeamus terminos tuos:” Græcus ille impio regi <sup>2</sup>in hac parte simillimus, et Saladino quam Christo fidelior, concedere noluit ut Christianus exercitus simpliciter transiret per fines suos. Quamobrem Latinus imperator ad suos: “Hostem,” inquit, “Christi Saladinum quærimus, et ecce par Saladino vel potius plus quam Saladinus hic; qui zelando pro Saladino, zelantibus pro Christo palam <sup>3</sup>obsistit: in ipsum ergo arma contra Saladinum sumpta vertamus, ferro nobis viam aperientes cum aliter nequeamus.” Placuit hoc omnibus, ingressique hostiliter terram ditionis Constantinopolitanæ, Thessalonicam urbem nobilissimam fortiter expugnatam ceperunt: et redacta in potestatem adjacentem provinciam, ibidem hiemandum duxerunt. Sane Christianorum, qui arma sumpserant contra Paganos, hunc motum et impetum contra Christianos, licet minus fraterne agentes, approbandum nequaquam censuerim, sicut nec illud, quod Christiani Christianis innoxium concedere transitum noluerunt. Denique hoc antiquis, et de lege sacra sumptis, probatur exemplis. Israeliticus sub Moyse populus in transitu innoxii petitione a rege Amoræo, ut dictum est, repulsam passus, in eundem,

Richard I.  
A.D. 1190.

<sup>1</sup> *Obsecro.*] Numbers xxi. 22.

<sup>2</sup> *In hac parte.*] C. H. L.; omitted R.

<sup>3</sup> *Obsistit.*] C. H. L.; resis-

tit, R.



Richard I.  
A.D. 1190.

jubente Domino, irruit, et terram ejus possedit. Hoc forte imperator ille noster cum suis exemplum attendens, pro negato transitu Græci imperatoris terram invasit, cum aliud potius, ut credo, attendere debuisset. Scriptum quippe est: “<sup>1</sup>Misit nuncios Moyses ad regem Edom, qui dicerent: Hæc mandat frater tuus Israel. Obsecramus ut nobis transire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros, nec per vineas, sed gradiemur via publica, nec ad dexteram nec ad sinistram declinantes, donec transeamus terminos tuos. Cui respondit Edom: Non transibitis per me. Dixeruntque filii Israel: Per tritam gradiemur viam; et si biberimus aquas tuas, dabimus quod justum est: nulla erit in pretio difficultas, tantum velociter transeamus. At ille respondit, Non transibitis. Quamobrem divertit ab eo Israel.” Ecce filii Israel, sub magno propheta Moyse agentes, a fratribus suis filiis Esau in simplicis transitus modestissima petitione repulsam bis passi, nec tamen tanto excessu fraterno ad ultionem vel transitum ferro parandum impulsī, sapienter, et tanquam immemores injuriæ, ab ingratis fratribus diverterunt. Postea vero ab Amorræo, qui non erat de genere Abrahæ, in re non dissimili unam passi tantum repulsam, in ultionem justissimam, jubente et favente Domino, exarserunt. Consultius igitur imperator Christianus fecisset, si ab inofficioso sed tamen Christiano imperatore divertens, alium in Syriam transitum, licet cum multa laboris et sumptuum jactura, quæsisset; quod utique sequens declaravit eventus. Videns autem Græcus imperator <sup>2</sup>non parum contra se actum a Latinis, et ex hoc tanquam modico

---

<sup>1</sup> *Misit.*] Numbers xx. 14—21. | <sup>2</sup> *Non parum.*] C. H. L.; omitted R.



ferociæ eorum gustu duriora, nisi præcaveret, conjectans, foedus cum imperatore nostro pepigit: et concesso transitu qui petebatur, de sumptibus quoque moræ quam propter inhibitum fecerat transitum, ei, dictante justitia, satisfecit. Itaque Latinus imperator cum exercitu per Constantinopolim transiens, fretum quod Brachium sancti<sup>1</sup> Georgii dicitur, prospere transmeavit. Veniensque in Asiam Minorem, cujus pars quædam Constantinopolitanæ ditionis est, parti vero reliquæ soldanus Iconii præsidet, magnis actibus ipsi soldano Turcisque jam erat terribilis. Unde idem soldanus, licet esset magnus et potens, arte tamen magis quam experientia virium imminentis impetum frangere studuit, de suscipienda, ut dicitur, Christianitate, simulatione callida cum eo agens, et pia simplicitate credulum per frequentes nuncios ambagibus longis suspendens. Cum ergo gentilis astutia suis præstigiis ita nostros deluderet, capta paulo ante amplissima civitate Iconio, et locupletissima præda direpta, Christianus exercitus, imperatoria provisione bipertitus, in castris excubabat amne medio interlabente discretis. Et parte quidem exercitus filio, Suevorum duci, commissa, parti vero reliquæ ipse imperator sollicitudinem debitam impendebat, cum repente virum tantæ claritatis, occulto Dei judicio, tristissimus, et quem nemo vereri poterat, mundo casus ademit. Cum equo sedens, filium visendi et alloquendi studio, cum paucis amnem vellet medium transmeare, dissuasus a comitibus ne se vir tantus petulanter in amnem daret incognitum, extrema eum sorte urgente, non adquievit, sed imperialis oblitus gra-

Richard I.  
A. D. 1190.  
but afterwards accords one.

Death of the  
Emperor  
Frederic.

---

<sup>1</sup> Georgii.] C. H. ; Gregorii, L. R.



Richard I.  
A.D. 1190.

vitatis, in gurgitem, fallaci brevitare contemptibilem, equo stimulato prosiliens, intuentibus comitibus nec subvenire valentibus, in momento suffocatus interiit. Quidam autem dicunt quod in æstu, refrigerii vel lavacri gratia, incautius in flumen descenderit, et subito ab aquis imperialis reverentiæ nesciis absorptus sit. Sed sive hoc verum sit sive illud, constat quod in illo flumine modico intraverunt aquæ usque ad animam ejus. O abyssus multa judiciorum Dei! vir tantus, et qui divino quodam fervore, relictis deliciis opibusque imperii, mille se exposuerat propter Christum periculis, tam subito miseroque casu absumitur. Peccatum tamen ejus tantum et tale elucet, quod forte in imperialibus non potuerit deliciis expiari, atque ideo oportuerit, ne æternaliter plecteretur, pia divinitatis provisione in hac vita severius castigari. Siquidem nefarii schismatis sub venerabili papa Alexandro principalis fautor extiterat, et pacis ecclesiasticæ per imperialem potentiam multo tempore perturbator. Tandem vero perspicue dans palmam veritati, minus tamen in deliciis palatii piaculare malum defleverat. Porro ne propter hoc gravia post mortem supplicia lueret, sed potius tam grande malum momentaneæ mortis casus acerbior perfecte dilueret, illa insigni devotione, qua propter Christum, relicto imperio, tantis se immersit periculis, actum credo. Sane exercitus Christianus ita stupuit doluitque de raptu principis, ut, collapsis animis, matura immanissimorum præda hostium fore videretur. Verum, resumpto paulisper spiritu, loco extincti patris, præsentis Suevorum duci adhæsit et paruit. Qui, paterni corporis, quod post casus infelicissimi dies aliquot ægre inventum ereptumque aquis dicitur, ossibus assumptis, in multo laborum et periculorum expe-

Succession  
of Henry VI.

rimento cum exercitu progressus est. Denique tantus exercitus per viam longissimam <sup>1</sup>paulatim bellis morbisque confectus atque imminutus, ita tandem laboris intolerantia sumptuumque penuria elanguit atque defluxit, ut, nulla re memorabili facta, contemptibiles ex eo reliquiae Palestinam cum duce memorato venisse dicantur. Qui, pater-  
nis ossibus apud Tyrum cum decenti honore sepultis, militiae Christianae, quae Acram obsidebat, cum omni comitatu adjunctus, ibidem post modicum morbo defecit. Hunc finem occulto Dei iudicio habuisse noscitur famosa illa Teutonici imperatoris expeditio.

Richard I.  
A. D. 1190.

#### CAP. XIV.

*De insolentia et fastu Cancellarii post Regis profectionem.*



REFLECTENDUS nunc ab Oriente in nostrum Occidentem videtur sermonis procursus, atque exponendum qualis regni Anglici in regis absentia status extiterit. Idem rex, ut superius dictum est, ad Orientalem egrediens expeditionem, Eliensi episcopo cancellario suo vices suas in administratione regni <sup>2</sup>commiserat, cum ejusdem regni ossibus, id est, munitionibus regiis.

<sup>1</sup> *Paulatim.*] C. H. L.; omitted R.

<sup>2</sup> *Commiserat.*] Pudsey, Bishop of Durham, had purchased the post of chief justiciary for 1000 marks: but he afterwards ap-

pointed as additional justiciaries Hugh Bardolf, William Briwere, and Longchamp Bishop of Ely, who was also the chancellor, and moreover entrusted by the king with the custody of the Tower of London.



Richard I.  
A.D. 1191.

Tyranny and  
prodigality  
of the bishop  
of Ely,

Qui episcopus, cum esset audaciæ astutiæque pene singularis, gravi summa Romam transmissa vices quoque sedis apostolicæ petiit, et tali intercessione facile impetravit. Quod astute dissimulans, tanquam pro regni negotiis convocavit episcopos et regni majores, ingerensque incautis indultæ sibi legationis instrumentum, cum fastu solemni sedis <sup>1</sup>se apostolicæ legatum ostentavit, multis quidem ægre ferentibus sed obsistere nequaquam valentibus. Denique ut ad summum evectus videretur, et tam regno quam ecclesiæ conspicuus apparens, æmulantium oculis dolorem injiceret, generale ex Anglia concilium, terrore maximo, Lundoniis congregatum, quanto gloriosius tanto et vanius celebravit, sub specie scilicet religionis et obtentu quasi ecclesiasticæ utilitatis agens propriæ negotium vanitatis. Quod utique tanto fortius tutiusque agebat quanto metropolitanis non <sup>2</sup>extantibus infirmiolem contra se episcoporum æmulationem vel indignationem videbat. Quippe sedes Eboracensis fere jam per decennium vacaverat, et novus ejusdem sedis electus in transmarinis partibus constitutus, ipso impediante nondum canonicæ poterat <sup>3</sup>consecrationis munus promereri. Porro Cantuariensis archiepiscopus, qui juxta sedis propriæ prærogativam apostolicis in Anglia vicibus præditus, signum domini sub rege Henrico susceperat, et post coronationem regis Ricardi, juxta devotionis suæ debitum, in partes abierat Orientis, Tyrum deveniens, ante regum adventum ibidem hominem exuit. Itaque homo ille, sublato omni obstaculo quo minus ambularet in magnis

<sup>1</sup> *Se.*] C. H. L.; omitted R.

<sup>2</sup> *Extantibus.*] H. L. R.; existentibus, C.

<sup>3</sup> *Consecrationis munus promereri.*] H. L. R.; ad consecrationis munus promoveri, C.



et mirabilibus super se, fretus duplici, id est, apostolica simul et regia, potestate, clero pariter et populo arrogantissime præsidebat. Et sicut <sup>1</sup>de quodam scriptum est, quod utraque manu utebatur <sup>2</sup>pro dextera, sic et ille ad faciliorem molitionum suarum efficaciam utraque potestate utebatur pro altera. Ad cogendos quippe vel coercendos potentes laicos, si quid forte ex seculari potentia minus poterat, apostolicæ idipsum potestatis censura supplebat; si autem ex clero forte quisquam voluntati ejus obsisteret, hunc proculdubio frustra pro se secundum canones allegantem, seculari oppressum potentia coercebat. Nec erat qui se absconderet a calore ejus, cum et secularis in eo virgam vel gladium apostolicæ potestatis timeret, et ecclesiasticus nulla se ratione vel auctoritate contra imminentiam regiam tueri valeret. Denique de potestate in immensum glorians, ut et metropolitanae ecclesiæ, quæ adhuc ejus videbantur aspernari excellentiam, experirentur potentiam, ad utramque tremendus accessit; et primo quidem ad Eboracensem, cujus infestissimus erat electo: præmissoque cum terroribus ad clericos ejusdem ecclesiæ mandato, ut sibi tanquam apostolicæ sedis legato solemniter occurrerent, cum illi adversus eum appellandum duxissent, appellationi ad superiorem potestatem factæ non detulit; sed appellantibus optionem dedit ut aut jussa complerent, aut tanquam rei majestatis in carcerem regium truderentur. Territi ergo paruerunt:

Richard I.  
A.D. 1191.

<sup>1</sup> *De quodam.*] Probably Asteropæus, commander of the Pæonians in the Trojan war, is here alluded to:

ὁ δ' ἄμαρτῇ δούρασιν ἀμφίς

ἦρωις Ἀσπεροπαῖος ἐπεὶ περιδέξιος ἦεν

Ilias xxi. 162.

Conf. Symmachus. Epist. ix. 105.

<sup>2</sup> *Pro.*] C.H.L.; omitted, R.



Richard I.  
A. D. 1191.

et ne mutire quidem ulterius contra eum audentes, tanquam triumphanti quantum voluit honoris et gloriæ dissimulata tristitia impenderunt. Præcentor vero ejusdem ecclesiæ paulo ante declinaverat, ut non videret quod absque animi tormento videre non posset. Quo ille comperto, sæviens in absentem tanquam in rebellem, motu implacabili per satellites proprios rebus eum omnibus spoliavit: deprædato quoque archiepiscopatu atque in fiscum redacto, triumphator inclytus abiit; ac non multo post de Cantuariensibus, cum nemo illi jam auderet<sup>1</sup> obsistere, non dissimiliter triumphavit. Utramque ergo sedem metropolitanam habens substratam, utraque usus est ut voluit. Denique ipsum illo tempore in Anglia et plusquam regem experti sunt laici, et plusquam summum pontificem clerici; utrique vero tyrannum importabilem. Quippe duplicis occasione potestatis duplicem indutus tyrannum, solis complicibus et cooperatoribus suis innoxius, ceteris indifferenter non tantum pecuniarum ambitu verum etiam dominandi voluptate erat infestus. Fastus ejus fere in omnibus plusquam regius erat. Orientalium more regum tanquam in expeditione jugiter positus, armatorum circa cubiculum suum habere excubias voluit. Procedebat cum mille equis et plerumque etiam numerosius. Legationis suæ nomine hospitia a cunctis per Angliam exegit monasteriis; et a minoribus quidem, quæ pondus hospitii ferre non poterant, certa, id est, octo vel quinque marcarum summa redimi hospitia censuit; majoribus vero incumbibat velut locusta. Eliensis quidem episcopatus redditus uberes esse noscuntur: sed quan-

---

<sup>1</sup> *Obsistere.*] C. H. L. ; resistere, R.



tus erat ipsorum modus ad immoderatissimas præsidentis expensas? Exhaustit ergo expensarum profluvio non solum ærarium regium verum etiam quicquid ex regno, monasteriis, ecclesiis, quacunque occasione sive per se sive etiam per officiales proprios corradere poterat. Præfecerat enim provinciis singulis, perdendis magis quam regendis, nequissimos avaritiæ suæ ministros, qui non clerico, non laico, non religioso parcerent vel deferrent, quo minus cancellarii commodis inservirent; sic enim dicebatur, cum esset episcopus; et episcopi quidem in illo nullum vel tepidum, cancellarii vero nomen per universam erat Angliam insigne atque terribile. Provinciarum vero præfectos, quo provincialibus essent formidini, sub prætextu publicæ provisionis, tanquam ad arcendam vel coerendam latronum audaciam, voluit habere in ministerio oberrantes armatas immanium barbarorum catervas, a quibus utique passim et impune debacchantibus innumeræ in provinciis enormitates et crudelitates patratae esse noscuntur. Sane quoniam regni optimatibus insolentiam fastumque ejus execrantibus parum se credere poterat, propin quarum suarum connubiis plurimos sibi potentes et nobiles devincire curavit. Quis enim nobilium eo tempore uxorem non habens, vel filio suo <sup>1</sup>sive nepoti uxorem accipere cupiens, oblatam sibi aliquam propin quarum cancellarii, quarum turbam idem hujus rei gratia ex Normannia in Angliam acciverat, obviis manibus non acciperet, nec præclaram affinitatem sub spe magnæ promotionis optaret? Cum ergo hoc modo astrinxisset sibi nobilium plurimos, ceteros vero vel confregisset

Richard I.  
A. D. 1191.

---

<sup>1</sup> Sive.] C. H. R.; vel, L.



Richard I.  
A. D. 1191.

Secret treaty  
between  
Longchamp  
and the king  
of Scotland.

terroribus vel arte et officiis delinisset, solum tamen metuebat Johannem regis fratrem, utpote longe potentiolem ceteris et speratum regni successorem, si forte rex in illa tam laboriosa periculosaque peregrinatione deficeret: cujus utique redditus non solum incertus erat, sed etiam causis valde probabilibus desperatus. Denique, ne forte rege peregre moriente et Johanne rite succedente, propria expiraret potestas, arte, ut dicitur, agendum putavit ut Johannes jam adultus non succederet, sed per successorem tenerum longi sibi temporis potestatem pararet. Duobus itaque fratribus suis ad regem Scottorum directis, petiit ut firmissimo sibi fœdere cohæreret ad præficiendum regno Anglorum Arturum Britonem ipsius pronepotem, si forte rex peregre in fata concederet, eo quod illi potissimum, nato scilicet ex Geofrido fratre regis majore, successio regni competeret; protestans regem litteris ex Massilia sive Sicilia ad se directis Arturum nepotem suum, si forte ipsum non reverti contingeret, regni successorem designasse, et ut illi, adhuc paulo amplius quam quinquenni, regnum usque ad annos viriles servaretur mandasse. Hoc quidem mysterium inter duos illos potentes occultis tractatum susurriis non diu latuit Johannem. Qui conceptum rancorem subtili pro tempore cautela dissimulans, suæ parti quoscunque poterat prudenter allicere, artemque arte eludere, studuit.

## CAP. XV.

*Quare rex Rothomagensem archiepiscopum de Sicilia in Angliam miserit.*



UM talia in Anglia per unius hominis ausus insolentissimos gererentur, regi in Sicilia hiemanti universa fidei multorum innotuere relatu. Qui mox Galterium Rothomagensem archiepiscopum, virum prudentem et modestum, qui cum ipso hiemabat, direxit in Angliam, eum regii auctoritate <sup>1</sup>rescripti cancellario per omnia in adminis-

Richard I.  
A. D. 1191.

The arch-  
bishop of  
Rouen is  
joined with  
Longchamp  
in the go-  
vernment of  
the kingdom.

<sup>1</sup> *Rescripti.*] Two commissions or letters-patent are preserved in the Chronicle of Ralph of Diceto, both sealed by Richard, or in his name, at Messina. The first (24 Feb. 1191) addressed to William Mareschall, Geoffrey Fitz-Peter, Hugh Bardolf, and William Briwere, empowers them, if the bishop shall not act faithfully according to their advice and the advice of the rest of the council, to administer the affairs of the kingdom; the second, in terms, adds Walter, bishop of Rouen, to the board of justiciars. But the construction of the documents, as we learn from Benedictus Abbas, was, that if the accusation against Longchamp were true, then the archbishop of Rouen was to assume the regency or justiciarship with William Mareschall and Geoffrey Fitz-Peter as his colleagues; if false, the three were, neverthe-

less, to be associated with him in the government. Whether however these documents, under which Longchamp was afterwards removed, really conveyed the king's intentions, or whether, in fact, they emanated from the king at all, will always remain a problem; since letters were both repeatedly counterfeited in the king's name by his brothers, and the king himself, in a letter addressed to the justiciar, directs that no faith be given to any instrument issued in his name, though produced by a messenger coming directly from him, unless the same be to his honour and profit. "Richard," remarks Sir F. Palgrave, "being beset with applicants and suitors, and in order to rid himself of their importunities, appears to have adopted this ingenious plan of granting what was asked, with a secret defeazance, annulling whatever



Richard I.  
A. D. 1191.

tranda rerum summa consortem et collegam adjungens: ac, ne quid in eadem administratione eo non pariter disponente fieret, districte præcipiens. Hugonem quoque cognomento Bardulfum, virum prudentem et nobilem, misit cum eo, Eboracensi præficiendum provinciæ, in qua frater cancellarii ritu barbarico grassabatur. Verum idem cancellarius propensiore sui fiducia regia contempsit mandata, allegans optime sibi notam esse principis mentem, <sup>1</sup>cui magis obtemperandum esset quam sine mente sonis, litteris scilicet surreptione <sup>2</sup>elicitis. Cumque memoratus archiepiscopus Cantuariam ire disponderet, vacantem ordinaturus ecclesiam, prout a rege acceperat, cancellarius, ad ejusdem jam sedis prærogativam aspirans, hac eum cito sollicitudine exuit, maturam præsumptionis <sup>3</sup>pœnitudinem si vel tentaret illuc contendere terribiliter comminatus. Itaque idem Rothomagensis otiosus in Anglia morabatur. Cancellarius vero in regni administratione collegæ impatiens, singularis ferus Angliam depascebatur.

grant or promise it might not be convenient for him to observe. This conduct, subversive of all good faith, utterly prevents us from ascertaining whether any particular instrument was or was not issued by Richard with the intent that it should be observed." Rotuli Curie Regis. Introduction.

<sup>1</sup> Cui.] C. H. R.; cui tamen, L.

<sup>2</sup> Elicitis.] On this assertion of Longchamp's, Sir F. Palgrave, in his Introduction to the Rotuli Curie Regis, remarks that, "Strange as it may seem, this mode of reasoning was

grounded upon law. It was admitted as a principle, that if oral declarations came in conflict with written instruments, the former had the more binding authority. When two parties came before the court, the one claiming according to the king's verbal declaration, and the other by virtue of the king's charter, a solemn judgment was given in favour of the former, upon the express ground that the king's intentions, testified by his own mouth, must prevail."

<sup>3</sup> Pœnitudinem.] H. R.; plenitudinem, C. L.



At non diu homo insolentissimus quietam egit tyrannidem, malis adversus eum paulatim succrescentibus, auctore maxime atque incentore fratre regis Johanne ob causam superius memoratam. Primi autem contra eum motus talis fuit occasio.

Richard I.  
A. D. 1191.

## CAP. XVI.

*Qua occasione Johannes frater regis restiterit  
cancellario.*



GERARDUS de Camvilla, vir dives et nobilis, summa non modica emerat a rege castelli Lincolniensis custodiam, quæ uxori ejus jure hereditario competere videbatur, necnon et adjacentis provinciæ præsidatum ad tempus certum. Rege autem in Orientali expeditione posito, cum fere nullus reditum ejus speraret, cancellarius, fere universis per Angliam munitionibus regiis in ejus potestate consistentibus, arcem quoque Lincolniensem ad suam ordinationem traducere voluit; nactusque occasionem, vel veram vel subornatam, prædicto Gerardo, præsidatu prius spoliato, arcem mox resignare præcepit. Ille vero, necessitate cogente, ad Johannem se contulit, ejusque favore fretus, jussionem sprexit. Indignatus cancellarius, eandem arcem obsessurus ex subjectis provinciis propere cogit exercitum. Optimatum autem plurimos habens suspectos, et non frustra eos conjiciens pronioris esse studii ad Johannem, profusioribus sollicitatam stipendiis transmarinam accersit militiam. Cujus tamen adventum homo fervidus et moræ impatiens minime præstolatur; sed civitatem Lincolniam cum ingentibus copiis ingressus,

The regent  
attempts to  
gain possession of Lincoln Castle.



Richard I.  
A.D. 1191.

John attacks  
and takes the  
royal castles  
of Nottingham  
and Tick-hill.

Truce con-  
cluded be-  
tween the  
regent and  
prince John.

arcem pervicaciter obsidet, <sup>1</sup>et conficiendis cum festinatione machinis sumptuosum laborem impendit. Sane illo circa obsidionis <sup>2</sup>negotium occupato, Johannes cum suis super munitiones regias, scilicet de Notingham et Tikehil, improvisus irruit, easque viris et victualibus parum munitas inveniens, bidui negotio comprehendit. Tunc, crescente fiducia, superbo denunciavit obsessori ut vel soluta obsidione recederet vel certe se ad excipiendum ejus in proximo impetum cautius præpararet. Sciens ille optimatum plurimos qui secum esse videbantur animo esse cum Johanne, confusus abscessit, et post dies paucos unum ex cornibus suis fractum esse, id est, legationis suæ officium per mortem Romani pontificis exspirasse, cognovit. Hiis territus, amicis mediantibus, solenne cum Johanne colloquium habuit, et quibus potuit conditionibus pacem cum eo fecit. Mox vero militiam illam quam accersire curaverat transmarinam in Angliam applicuisse atque adventare cognoscens, resumpto spiritu resiliit a pactis, et protestatus est vel se vel Johannem ex Anglia propellendum, tantam scilicet regni latitudinem duobus tam grandibus, immo tam tumidis, significans non sufficere capiendis. Tandem tamen inter eos facta est <sup>3</sup>pax conditionibus novis: dum ille, sicut dicitur, Johanni satisfaceret, abjurata parte Arturi, et cautione præstita quod Johanni tanquam justo heredi munitiones regias redderet, si forte rex ab Orientis partibus non rediret. Hiis actis, Johannes pro tempore quievit. Cancellarius

<sup>1</sup> Et.] C. H. R. ; omitted, L.

<sup>2</sup> Negotium.] C. H. R. ; negotiis, L.

<sup>3</sup> Pax.] This truce, as will be seen, was most disadvantageous to the interests of Longchamp.

vero, fastu agens solito, tyrannum non exuit. Solum enim tanquam alter Herodes metuebat Johannem, et audito eo multa faciebat, et quidem non libenter sed plane reverenter eum audiebat.

Richard I.  
A. D. 1191.

## CAP. XVII.

*De captione Eboracensis archiepiscopi, et expulsionem cancellarii.*



NTEREA <sup>1</sup>Geofridus Eboracensis electus in transmarinis partibus constitutus, ordine præpostero ante pontificalem consecrationem insigne metropolitani, id est, pallium, a Romano pontifice petiit et accepit. Consecratio vero ejus post acceptionem pallii diuscule dilata est, impediuntibus eum per objectiones varias adversariis plurimis, et maxime memorato cancellario. Veruntamen per instantiam clerici sui Simonis Apuli, viri prudentis et litterati, tandem invaluit; et impetrato Cælestini papæ, qui Clementi successerat, ad archiepiscopum Turonensem rescripto, ut ei, non obstante vel appellatione vel occasione qualibet, manus imponeret, Turonis solemniter est consecratus anno a partu Virginis M. C. nonagesimo

Geoffrey receives consecration from the Bishop of Tours.

Aug.

<sup>1</sup> *Geofridus.*] H. L. R.; Geofridus, C. Geoffrey was the son of Henry II. by Fair Rosamond. He had been compelled to take an oath that he would live out of England, and on his preparing to return to take possession of the see of York, he

received a decided prohibition from Longchamp, who gave orders to the sheriffs that he should be arrested, should he attempt to land contrary to the injunction. He appears to have come over at the instigation of his half brother John.



Richard I.  
A. D. 1191.

Arrives in  
England.

Is seized and  
committed to  
Dover  
Castle.

primo, mense Augusto. Quod ubi comperit principalis insectator ejus cancellarius, mox per satellites proprios Eboracensis archiepiscopi tyrannice possessiones invasit, et præter res immobiles, cetera improbus dilapidator vel potius deprædator abra-  
sit. Portus quoque caute custodiri præcepit, ne forte illi liber esset in Angliam ingressus vel ad ecclesiam suam accessus. Ille vero nihilominus adveniens, apud Doveram confidenter applicuit; sed majorem in terra quam in mari procellam invenit. Custos enim castri Doverensis, habens in conjugio germanam cancellarii, appulso progressum inhibuit, atque ejus ingressum citissimis cancellario nunciis indicavit. Qui ferocis animi motum nequaquam dissimulans, præcepit eum rebus nudatum omnibus monasterio Doverensi, in quo interim morabatur, abstrahi, et in arce Doverensi custodiæ mancipari. Venientes ergo missi a tyranno satellites, vehicula et clitellas, et quæcunque ejus vel clericorum ejus erant, diriperunt: eumque in ecclesia invenientes, nec personæ clarissimæ, nec <sup>1</sup>sacra-<sup>2</sup>tati loci reverentiam habuerunt; sed a venerabili altari violenter avulsum, et ab ecclesia contumeliose extractum una cum clericis suis castello intruserunt. Et ille quidem servabatur in <sup>2</sup>carcere. Fama vero enormitatis hujus discurrens, et quasi gradiens super pennas ventorum, in brevi Angliam replevit. Majores in cancellarium fremunt, minores eidem mala imprecantur, universi votis communibus tyrannum

<sup>1</sup> *Sacra-<sup>2</sup>tati.*] H. L.; sacri, C. R.

<sup>2</sup> *Carcere.*] It was on the fourth day after Geoffrey had taken refuge in the church that he was dragged therefrom and imprison-

ed in Dover Castle. The tone of our author's narrative seems to be that of strong partizanship with prince John: the deeds of the justiciary being represented in their darkest light.



detestantur. Johannes maxime de fratris captivitate doluit; atque ad ejus non tantum liberationem sed etiam ultionem justissimo motu exarsit. Itaque festinanter congregatis ex omni terra ditioris suæ necnon et ex regione Walliarum ingentibus copiis <sup>1</sup>properabat. Cui mox accessere <sup>2</sup>Wintoniensis episcopus, et barones plurimi, comitesque nonnulli cum militia copiosa: nec defuere episcopi <sup>3</sup>Bathensis et <sup>4</sup>Cestrensis, qui paulo ante principales cancellarii complices et fautores extiterant, sed tyrannicis ejus moribus et immoderato fastu offensi, cum ceteris immo præ ceteris in eum tunc linguis simul et animis sæviebant. <sup>5</sup>Cancellarius vero sera poenitudine stimulatus quod tantam contra se flammam petulanti ausu accenderit, præcepit captivum relaxari pontificem. Qui dimissus, venit Lundonias, et illatæ dolorem injuriæ abundantioribus multorum affectibus atque officiis compensavit. At non sicut ejus captione præsulum procerumque zelus excitari, ita etiam ejus potuit relaxatione sedari. Semel enim accensi animi per hanc quasi satisfactionem nequaquam deferbuere, sed ad confringenda rhinocerotis illius cornua omnium vota et studia laudabili constantia convenere. Ille, cum esset animi robusti et rigidi, necessitatem ad alacritatem trahens,

Richard I.  
A. D. 1191.

Prince John  
raises an  
army.

Geoffrey is  
released.

<sup>1</sup> *Properabat.*] H. L. R.; præparabat, C.

<sup>2</sup> *Wintoniensis.*] This was Godfrey de Lucy, consecrated in Nov. 1189.

<sup>3</sup> *Bathensis.*] Reginald Fitz Joceline, who was translated to the see of Canterbury in 1191, but died on the 25th of December, before the translation was perfected.

<sup>4</sup> *Cestrensis.*] Hugh de No-  
nant, bishop of Litchfield and  
Coventry. These bishops were  
frequently styled bishops of  
Chester. Vide Chap. xxxvi. of  
this Book. The present bishop-  
ric of Chester was not erected  
into a see until the time of Henry  
VIII.

<sup>5</sup> *Cancellarius vero sera.*] C. H.  
L.; omitted R.



Richard I.  
A. D. 1191.

The chancellor  
retreats  
to London.

Throws him-  
self into the  
Tower,

but is com-  
pelled to re-  
sign it into  
the hands of  
John.

amicorum et militum peregrinorum stipavit se copiis, stetitque in campo non longe a Windesora, hostes, si forte progrediendum putarent, paratus excipere. Verum adventantis exercitus numero et fiducia territus retrogradari cœpit. Mox quibusdam potentibus qui cum eo esse videbantur transeuntibus ad partes Johannis, cum ei in vicina munitione regia, scilicet Windesora, tutum non<sup>1</sup> esset receptaculum, turbatus inopsque consilii, instantibus a tergo hostibus, cum suis omnibus profugit Lundonias. Quas ingressus, civibus, quibus paulo ante terribilis fuerat, ne sibi in illo deessent articulo humiliter supplicavit: illi vero, prioris fastus et ferociæ ejus memores, Johanni potius favorem præstiterunt. Itaque spe sua frustratus, quod solum poterat, a facie hostis imminenti in arcem se regiam cum omnibus suis recipit, quorum tantus erat numerus ut in unius turris angustiis sua illis esset multo nocivior multitudo quam hostium foris frementium fortitudo. Æstuabat turris interius compressione multitudinis inclusæ, cito evomitura quos prodendos magis quam tuendos susceperat. Denique post unam noctem egressus ad Johannem et obsessores ceteros ille paulo ante rhinoceros sed jam homo, humili alloquio abeundi facultatem impetravit inclusis: ipse quoque arce resignata cum ceteris per Angliam munitionibus regiis, privatus et inglorius Doveram ad virum sororis concessit. Cernere erat tunc hominem modo paulo ante non contentum humano sed pene cogitantem super astra cœli exaltare solium suum et ascendere super altitudinem nubium, dejectionis suæ dedecus

<sup>1</sup> *Esset.*] C. L.; deesset, H. R.



ita pati ut illi animo nequaquam Siculi potuisse videantur invenire tyranni majus tormentum. Cumque ad ecclesiæ propriæ regimen episcopus deberet accedere si sobrium vexatio dedisset intellectum, apud Doveram mora facta, tanquam in Anglia confusionem suam non ferens, vel certe liberius trans mare pro ultione propria aliquid moliturus, transfretare voluit. <sup>1</sup> Impediri autem metuens, miri acuminis, qua omne impedimentum eluderet, artem invenit. Olim enim animo et merito exutus episcopum, habitu quoque exuens, membris non tantum virilibus, more effeminatorum, sed etiam pontificalibus, quod a seculis non erat auditum, vestem ineptissime aptavit muliebrem, caputque et majorem faciei partem velut delicata muliercula, peplo obvolutus, inter plurimos deambulabat in littore, lævo brachio telam lineam, tanquam venalem, ulnam vero manu dextera præferens; scilicet ut hac arte non observatus ab aliquo, navim cum ceteris <sup>2</sup>transfretaturis absque impedimento intraret. Verum a quodam forte agnitus proditusque, abstracto peplo, tanquam manifestus effeminatus ignominiose multumque ineiscopaliter a concurrentibus est indisciplinatis pulsatus. Dehinc magistratui loci exhibitus servatusque est quousque sciretur quid super hoc decernerent regni potentes. Johannes quidem, agnito quod acciderat,

Richard I.  
A.D. 1191.  
He proceeds  
to Dover.

Disguises  
himself in a  
female habit.

Is recognized and  
dragged before the  
magistrate.

<sup>1</sup> *Impediri.*] From this description it is evident that our author was by no means friendly to the chancellor: Hugh bishop of Coventry, Longchamp's bitter enemy, wrote a narrative of his escape, garnished with various incidents alike indelicate and improbable; for which he is called to account by Peter of

Blois. The satire, remarks a modern historian, was evidently intended to put Longchamp in a more ridiculous and degrading light than archbishop Geoffrey had been in at the same place—Dover.

<sup>2</sup> *Transfretaturis.*] C. H. L.; transfretaturus, R.



Richard I.  
A. D. 1191.  
Is permitted to with-  
draw beyond  
seas.

hostili animo exultavit, atque aliquid in eum quo magis dehonestaretur sancire voluit. At vero episcopi justo rubore suffusi quod in persona episcopali tam fœda res accidisset, vigore ecclesiastico ut dimitteretur egerunt. Dimissus ergo, et foris quantum poterat dissimulans quo intus urebatur, transfretavit.

### CAP. XVIII.

*De ordinatione regni post expulsionem cancellarii, et de molitionibus ejus irritis.*

The govern-  
ment of the  
kingdom is  
intrusted to  
the archbi-  
shop of  
Rouen.



TYRANNO igitur qui regnum turba-  
verat propulsato, episcopi et opti-  
mates cum Johanne Lundoniis con-  
gregati de regni ordinatione tractare  
cœperunt. Et primo quidem ab om-  
nibus regis Ricardi propter Christum peregrinantis fidelitate jurata, regni administrationem Rothomagensi archiepiscopo, quem ad hoc ipsum idem rex a Sicilia in Angliam miserat, decreto communi tradiderunt: <sup>1</sup>amotisque ministris tyrannicis, provinciarum regimen melius ordinari voluerunt. Quibus actis, Anglia in cunctis finibus suis pacem recepit, et decenti sub novis cœpit rectoribus moderamine gubernari, malis plurimis quæ sub tyranno pullulaverant atque viguerant cum ipso pariter eliminatis, juxta illud Salomonis, “<sup>2</sup>Ejice derisorem, et exhibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ et contumeliæ.” Sane illi, quorum

<sup>1</sup> *Amotisque.*] C. H. R.; amo-  
tis, L.

<sup>2</sup> *Ejice.*] Proverbs xxii. 10.

laudabili opera hæc regno Anglorum salus influxerat, molitionum illius hominis non ignari, quod scilicet regem etiam longissime positum concinnatis prævenire atque inflammare curaret mendaciis, integram rerum veritatem regi per litteras significandam duxerunt, cum <sup>1</sup>attestationibus signorum appendentium plurimorum. Præterea Rothomagensi archiepiscopo, cui rerum erat principaliter summa commissa, regnique episcopis visum est, vacanti primæ sedi ad quam tyrannus aspiraverat et forte adhuc aspirabat, maturius quo ejus spes frustraretur providendum esse pastorem. Invitati igitur ad celebrandam <sup>2</sup>ex more futuri metropolitani electionem Cantuarienses, <sup>3</sup>Bathensem episcopum solemniter elegerunt. Verum is post modicum nondum inthronizatus decessit, spemque cancellarii, sua forte electione mortuam, moriendo resuscitavit. Qui nimirum in transmarinis positus, suam, tanquam ad domini regis propter Christum peregrinantis injuriam et dedecus, expulsionem, regnique a Johanne invasionem, per nuncios in auribus domini papæ Cælestini deplo-  
ravit, redditisque sibi vicibus sedis apostolicæ, quas sub papa Clemente habuerat, pro coercendo Johanne et revocando in pristinum statum regni Anglici, <sup>4</sup>rescriptum fortissimum impetravit. Verum idem rescriptum, quadam episcoporum Angliæ cautela delusum, viribus caruit. Videns ergo nihil

Richard I.  
A.D. 1191.

The bishop of  
Bath and  
Wells elect-  
ed to the see  
of Canter-  
bury.  
His death.

The pope  
espouses  
Long-  
champ's  
quarrel.

<sup>1</sup> *Attestationibus.*] C. H. L.; accessionibus, R.

<sup>2</sup> *Ex more.*] H. L. R.; omitted C.

<sup>3</sup> *Bathensem.*] C. H. L.; Bathoniensem, R.

<sup>4</sup> *Rescriptum.*] The pope directed a bull into England, de-

nouncing excommunication against all who had seized Longchamp's authority: but, as our author remarks, this anathema fell powerless, inasmuch as the English bishops would not carry it into effect.



Richard I.  
A.D. 1191.  
Longchamp  
enters into  
negotiations  
with John.

a se agi posse Johanne adverso, per clandestinos nuncios <sup>1</sup>collusit cum eo, ingentique summa illi vel præstita vel promissa, favorem ejus emeritus confidenter in Angliam venit. Applicans autem apud Doveram, mox ut male sibi notum littus attigit, tanquam ad detergendum dedecus quod ibidem incurrerat, erectis suæ legationis insignibus gloriosus refulsit; non tamen progressus est, sed apud virum germanæ resedit <sup>2</sup>donec agnosceret utrum eum metu vel regio vel apostolico inclinati reciperent adversarii, cum jam <sup>3</sup>placasset maximum omnium Johannem. Hujus rei gratia missis Lundonias nunciis litterisque ad reginam matrem regis, quæ nuper a Sicilia venerat, et tunc forte cum Rothomagensi et Eboracensi archiepiscopis et Johanne filio aliisque compluribus tam episcopis quam optimatibus Lundoniis consiste-

<sup>1</sup> *Collusit.*] An interesting account of this negotiation will be found in Palgrave's Introduction to the Rotuli Curie Regis. The Introduction is, in fact, a running commentary on this portion of our author's history, and absolutely indispensable to its proper elucidation.

It appears that John's main object throughout the whole transaction was simply to gain as much money as possible from all the parties concerned. At the time of Longchamp's arrival at Dover, in his character of legate and chancellor, a council was sitting at London. Alarmed at the intelligence, the ministers requested the attendance of John, who shortly making his appearance informed them that Longchamp defied them all, pro-

vided that he could obtain his (John's) assistance, for which he had offered him the sum of 700*l.* to be paid within the week. He concluded by observing that he was at that moment in peculiar need of money, and that "a word to the wise was enough." Anxious to prevent the return of their rival, the ministers took the hint, and agreed to buy John off by a loan of 500*l.* from the royal treasury. That prince thereupon withdrew his proposition for restoring the chancellor, and the threatening letter mentioned by our author was dispatched, insisting upon his immediate departure from England.

<sup>2</sup> *Donec.*] C. H. L.; ut, R.

<sup>3</sup> *Placasset.*] C. H. L.; placuisset, R.

bat, secus quam sperabat invenit. Cum enim Johannes collusionem quanta poterat cautela dissimulans, mollius tamen agendo deprehenderetur, atque objurgaretur a matre et ceteris, tandem flexus generali subscripsit decreto. Itaque universi cum regina directis ad cancellarium viris honoratis, eum tanquam regni turbatorem hostemque publicum Angliæ finibus mature excedere cum interminationibus præceperunt. Denique territus et confusus recessit, siluitque gemens usque ad tempus. Quia vero quales, rege peregrinante, res Angliæ fuerint, superiori narratione perstrinximus, nunc ad ejusdem peregrinantis acta, prout ab eis qui interfuere accepimus, explicanda veniamus.

Richard I.  
A. D. 1191.  
but is ultimately  
obliged to  
quit the  
kingdom.

## CAP. XIX.

*De progressu regum a Sicilia, et impedimentis Christiani exercitus apud Acram.*



**N**GITUR illustribus Francorum Anglorumque regibus in insula Sicilia sub expectatione vernæ expeditionis hiemantibus, regina Alienoris, anilis oblita ætatis, nec reputans longitudinem seu difficultatem itineris aut rigorem temporis hiemalis, dum materno duceretur vel potius traheretur affectu, a finibus terræ Siciliam venit ad filium, secum adducens nupturam illi regis Navarrorum filiam, famosæ pulchritudinis et prudentiæ virginem. Et quidem tam ineptum quam et inusitatum videbatur ut in præcinctu bellorum de voluptate cogitaret, et quam uxorem duxisset, mox secum ad prælia duceret, attamen hoc in regnante

Marriage of  
king Richard  
with Beren-  
gère daugh-  
ter of the  
king of Na-  
varre.



Richard I.  
A. D. 1191.

The king of  
France ap-  
pears before  
Acre.

juvene non tantum utilitatis verum etiam salubritatis ratio honestabat. Nam et in illo articulo sobolem quærere, cum filium qui succederet non haberet, utile fuit : cumque esset pro ætate et usu deliciarum lubricus, bellorum propter Christum pericula subiturus, contra maximum fornicationis periculum competenti remedio, salubri usus consilio, se munivit. Adductam ergo virginem duxit uxorem, eandem per maris Martisque <sup>1</sup>discrimina secum ducturus, una cum nobili vidua, propria scilicet germana, Guillelmi illustrissimi olim regis <sup>2</sup>Siculorum relicta ; quæ nimirum præclari conjugii amplissimam in Sicilia sive Calabria dotis nomine habens mercedem, eadem dote regi Tancredo absolute vendita ut fratrem regem sequeretur, ejus in immensum auxit thesauros. Adest tandem longis expectatus desideriis mensis Martius ; tranquillatur mare arridet cælum ; Christianorum ingens numerus, qui relictis ante hiemem propriis, in diversis provinciis transiturus in Syriam hiemem egerat, cum solemni lætitia et alacritate <sup>3</sup>naves ascendit. Memorati quoque reges cum suis copiis classem solvunt ; rex Francorum spatio dierum aliquot, regem Anglorum mox secuturum, præcedens, et secundis flatibus circa octavas Paschæ in Syriam veniens, Christiano exercitui, civitatem Tholomaidam, ut superius dictum est, jam fere per biennium obsidenti, totis viribus jungitur. Hujus autem exercitus, tanto tempore sub divo excubantis ad tantum negotium, tam laudanda quam miranda devotio est, et illa nullis casibus sive periculis, nullis incommodis sive labo-

---

<sup>1</sup> *Discrimina.*] C. H. R. ; dis- | culi, L.  
crimen, L. <sup>3</sup> *Naves.*] C. H. L. ; navem,  
<sup>2</sup> *Siculorum.*] C. H. R. ; Si- | R.

ribus lassata constantia, quominus hostes atrocissimos usque ad exterminium debitum coartarent. Civitas olim a Christianis ad summam claritatem et præcipuum robur evecta, postquam in manus impiissimi Saladini quanto minori negotio tanto manifestiori Dei judicio incidit, per ejusdem tyranni providam et sumptuosissimam operam mœnia longe firmiora, et multiplex, tanquam primos Christianorum impetus expertura, munimen accepit. Universi ejus defensores electi, nullusque in ea remissus vel languidus; et si forte quemquam debilitari contigisset, mature mutabatur. Nam propter portum, quo urbi adjuncto potiebantur Pagani, inhibere non poterant obsidentes Christiani quin, captata flatuum et temporum opportunitate, quæque necessaria civitati inferrentur. Fiebant autem ab obsessoribus diversi generis machinæ arte et sumptu inani: muris enim admotæ, incendebantur ab hostibus quodam ignis genere quem Græcum dicunt: denique hoc genus arte confectum miræ esse potentiæ dicitur, nec contrario cedere elemento. Cumque urbs abundaret subsidiis, gravi plerumque penuria noster exercitus laborabat; non enim poterant nostri ad agendas prædas et comportanda exercitui necessaria egredi in regionem, Turcorum jugiter haut <sup>1</sup>procul observante exercitu atque omnem illis inhibente excursus; sed marino tantummodo commeatu tantus Christianus exercitus alebatur: et cum forte parcius adveheretur subsidium, famis incommodo tabescebat. Tantus autem numerus per singulos dies vel inedia vel morbis absumebatur, ut exercitus ita

Richard I.  
A. D. 1191.

---

<sup>1</sup> *Procul.*] C. H. L.; longe, R.



Richard I.  
A.D. 1191.

Contention  
between Guy  
king of Jeru-  
salem and  
the marquis  
of Mont-  
ferrat.

sensim deficiens in brevi totus absumendus videretur. Veruntamen divina quadam providentia tantis et quotidianis defectibus nec in modico minuebatur exercitus: nam et super illorum numerum qui ex labore propter Christum suscepto ad æternam requiem per dies singulos assumebantur, ex regionibus Christianis plures accedebant, et assumendo emeritos, ita suum Christus novo militum delectu reficiebat exercitum ut assumptionem supplementa superarent. Præterea quædam mala interna, auctore diabolo, quantum inter nostros serpebant tantum et hostem juvabant. Gwido enim olim rex Jerosolimorum et marchio de Monte-Ferrato, causa superius memorata dissidentes, ad exercitum venerant, atque in ipsa obsidione ita locis distincti ut animis multam post se turbam trahebant, dum potentum plurimi partes oppositas divisim prosequerentur favoribus, in tantum ut religiosa Hospitalis Jerosolymitani militia in duo collegia pro studio partium scissa videretur. Principibus itaque in diversa nitentibus, exercitus minus agere poterat, et Christianum lente negotium procedebat. Nonnullos quoque principum nostrorum, ut dicitur, avaritiæ tabes infecebat, clandestinis a Saladino pecuniis, cum plurimum possent, ut remissius agerent, expugnatos. Hiis igitur causis propositum impredientibus, exercitus noster multo tempore circa urbem expugnandam casso labore sudavit. Verum cum nova militia rex Francorum adveniens, fessorum auxilium fiduciam, et de cetero fortius atque efficacius negotio instabatur. Denique idem <sup>1</sup> marchioni pro-

---

<sup>1</sup> *Marchioni.*] C. H. L.; marchio, R.

pensius favorem accommodans, atque eo qui Richard I.  
A. D. 1191. regnum Christianum perdiderat, illum qui reliquias saltem parvas salvaverat eidem regno aptiorem pronuncians, partem Guidonis pro tempore infirmavit.

## CAP. XX.

*Quomodo rex Anglorum adquisivit insulam Cyprum.*



**N**GITUR rex Anglorum diebus aliquot The English king puts to sea. post regis Francorum profectionem in Sicilia demoratus, tandem et ipse cum suis copiis et longe majori apparatu non satis fidis se flatibus credit, habens in comitatu suo naves actuarias atque onerarias plurimas. Quippe in illo hiemali otio otiosus non <sup>1</sup>fuerat; sed congerendis necessariis exercitui subsidiis et conficiendis machinis bellicis tempus imbelle impenderat. Dei autem ordinatissima provisione, ut consequenter claruit, oborta tempestas, fatigatam compulit classem Cyprum divertere, tanquam Christianorum incolarum fidei ac tuto colligendam hospitio atque officiis confovendam. Verum majorem in portu optato quam in mari turbato turbinem offenderunt. <sup>2</sup>Tyrannus enim qui eandem insulam sæva dominatione annis jam plurimis <sup>3</sup>presserat, et imperatorium sibi in ea nomen usurparat, Christiani nominis hosti Saladino foederatus, ipsique quam Christo fidelior, licet Christianus diceretur, cum exercitu affuit, et primos fluctuum sævitia in portum coactos sævior ipse excipiens indigne tractavit, et bonis omnibus

Is forced by stress of weather into Cyprus.

<sup>1</sup> *Fuerat.*] C. H. L.; fuit, R. | <sup>3</sup> *Presserat.*] C. H. L.; oppresserat, R.  
<sup>2</sup> *Tyrannus.*] King Isaac.



Richard I.  
A. D. 1191.

Takes the  
king of Cy-  
prus pri-  
soner.

The whole  
island sur-  
renders.

spoliatos, vix vita dignos censuit: quosdam etiam redegit in carcerem inedia consumendos, regi mox affuturo non dissimilia ore terricrepto comminans. Quibus ille agnitis, justo ad ultionem zelo inflammatus, cum tota classe portum intravit. Excipitur a tyranno, et totis hinc inde viribus conseritur proelium: at non diu Græca mollities impetum sustinuit Latinorum. Victus ergo tyrannus, dum tentaret fugere incidit in manus hostium, disper-soque exercitu ejus, civitas portui imminens capta est. Rex quidem primo in tyrannum mitius agere voluit, et pro sua liberatione quicquid exigebatur pollicentem, celebratis cum eo pactis relaxavit. Verum ille, libertate reddita, prævaricator pactorum, malis prioribus perfidiam sociavit. Rex vero præmaturæ clementiæ pœnitens, investigare perfidum et persequi statuit. Ille vires resumere atque exercitum cogere frustra conatus, fugiebat a facie persequentis: quem tandem rex in quodam monasterio delitescentem, prodentibus eum quibusdam insulans quibus merito exosus erat, comprehendit, et vinculis justissimis innodavit. Vinciri autem jussus, dixisse fertur quod ferro vinctus cito deficeret. Ad quod rex, "Bene," ait, "loquitur, quia nobilis est, et mori eum nolumus: sed ut vivat innoxius argenteis astringatur catenis." Mox tota insula<sup>1</sup> tyrannicis saucia moribus, sponte in ejusdem principis ditionem devotionemque concessit, cunctis illi urbibus et munitionibus necnon et opulentissimis tyranni thesauris cum unica ejus filia resignatis. Quibus feliciter actis, per dies aliquot in regno novo cum victricibus copiis victoriam cum multa gloria celebrans, præclaras manu-

<sup>1</sup> *Tyrannicis.*] C. H. L.; tyranni, R.

bias ad Christianæ expeditionis subsidium sollicitus ordinabat. Non latuere ista Christianum exercitum qui Tholomaidam obsidebat, atque ejus cum desiderio præstolabatur accessum. Verum præclari successus audita felicitas, cui congratulandum non derogandum erat, necessariam ejus moram purgavit. Ipse vero paulo plus duobus mensibus in Cypro exactis, et rebus magnis spatio tam brevi patratis, hilares copias in Syriam traducendas ad naves revocat. Ordinata igitur, prout voluit et decuit, insula, cunctisque rite dispositis, arridentibus quoque elementis, portu egreditur, rectoque cursu Tholomaidam properans, trierem maximam onerariam eminens conspicatur, quæ nimirum a Saladino missa, obsessis in Tholomaida multiplicis subsidii copiam deferebat. Quo ille comperto, jubet eam oppugnari. Verum cum non facile propter enormem <sup>1</sup>posset magnitudinem et virtutem defensorum, desuper tanquam ex arce pugnantium, <sup>2</sup>expugnari, rerum, quæ in ea erant, dispendio, expugnationis ejus compendium, rege volente, quæsitum est. Arte siquidem sub aquis perforata, mari per foramina latenter immisso pondere paulatim subsedit, et tandem cum omni onere demersa est in profundum. Et res quidem omnes cum parte hominum nonnulla periire; ceteri vero in naves prosiliendo hostiles, consulte hostibus quam fluctibus se credere maluere. Classis vero regia cum salute et gaudio attigit littus optatum.

Richard I.  
A. D. 1191.

King Richard proceeds on his voyage.

Captures a Saracen dromond.

---

<sup>1</sup> *Posset.*] H. L. R.; populi, | <sup>2</sup> *Expugnari.*] H. L. R.; pos-  
C. | set expugnari, C.



## CAP. XXI.

*Quibus causis reges dissidere cœperunt apud Acram.*

Richard I.  
A. D. 1191.

Causes of  
dissension  
between the  
English and  
French  
kings.

24 June.



ILLUSTRIS itaque rex Anglorum post pentecosten a Cypro digressus, paucis ante solemnia beati Baptistæ Johannis diebus Tholomaidæ, quæ Acra vulgo nunc dicitur, cum universo comitatu suo applicuit, et a cunctis principibus omnique exercitu tanto susceptus est gaudio quanto prius desiderio fuerat expectatus. Porro regem Francorum tanta ejus gloria jam urere cœperat, et cordis sui æstus tabificos ægre dissimulabat, cum se intueretur viribus et opibus longe imparem, illum vero propter virium opumque magnitudinem et successuum claritatem excellentius eminere, et propensius coli ab exercitu, et ad ejus jam agenda omnia pendere arbitrium. Domine Jesu, seminator bone, nonne bonum semen seminasti in cordibus duorum principum istorum tanquam in agro proprio? Unde ergo ager iste tuus tam cito habuit <sup>1</sup>zizania? Plane inimicus hoc fecit, inimicus humani generis, plebis Christianæ tam pio studio invidens, et tantos pro te susceptos labores cassare cupiens, bono semini sanctæ devotionis, quod manus tua <sup>2</sup>seminaverat in cordibus principum, ut opulentissima propter te regna relinquerent et delicias regias summis propter te laboribus atque periculis commutarent, superseminavit pestifera zizania æmulationis et contentionis,

<sup>1</sup> Zizania.] H. L. R. ; zizania, C. | <sup>2</sup> Seminaverat.] C. H. L. ; seminavit, R.

quibus tam bonum <sup>1</sup>semen et tam bona manu jactum infructuosum atque inefficax redderetur, te quidem, Domine, hoc ipsum juste permittente: sed permissionis hujus ratio penes te est. Cum igitur, ut dictum est, rex Anglorum a Cypro triumphator inclytus ad obsidionem venisset, mox inter ipsum et regem Francorum, quem ejus jam mordebat felicitas, manifeste dissidendi seminaria, auctore Sathana, provenerunt. Rex enim Francorum, ratione pacti inter eos peregrinationem ingressuros solemniter habiti, quod scilicet omnem acquisitionem suam æquali inter se sorte dividerent, medietatem acquisitionis <sup>2</sup>Cypriæ tam in immobilibus quam et mobilibus, tanquam perspicuo sibi jure competentem, exigebat. Ad hoc rex Anglorum respondebat, medietatem omnium quæ communibus adquirerent viribus illi ratione pacti competere; se propriis Cyprum viribus adquisisse; illum ea in quibus nec modice laboravit exigere non debere. Adjiciebat etiam, se et illum cum peregrinationem arriperent Sarracenos solummodo aggrediendi, et ab eis quantum possent Deo propitio extorquendi, intentionem habuisse, et juxta hanc intentionem pactum de acquisitione dividenda constituisse. Porro se Christianam insulam non ex intentione adisse, sed incidenter ad eam, causa ulciscendæ atrocis et adhuc flagrantis injuriæ, divertisse. Hoc modo illi duo altercabantur potentes. Et rex quidem Anglorum patratae acquisitionis consortium regi Francorum modis omnibus denegabat: rex vero Francorum regem Anglorum rupti fœderis et pacti irriti arguebat. Alia quoque inter eos dissidendi causa emersit. Rex Franco-

Richard I.  
A. D. 1191.  
Causes of  
dissension  
between the  
English and  
French  
kings.

---

<sup>1</sup> *Semen.*] C. H. R.; omitted, [ <sup>2</sup> *Cypriæ.*] C. H. R.; Cypri,  
L.



Richard I.  
A. D. 1191.  
Causes of  
dissension  
between the  
English and  
French  
kings.

rum cum ad obsidionem prior venisset, partes, ut dictum est, Conradi marchionis contra Guidonem olim Jerosolymorum regem propensioribus juvabat favoribus. Et cum tandem rex Anglorum post factam in Cyprio moram necessariam jam adesset, nisus est eum ad suam rex Francorum sententiam trahere, allegans potio<sup>1</sup>rem esse paucularum saltem reliquiarum Christianæ<sup>1</sup> regionis salvatorem quam regni Christiani<sup>2</sup> perditorem. Rex vero Anglorum non adquevit, pronior in partem Guidonis, Aquitani scilicet hominis, cujus tota propinquitas sub rege agebat Anglorum. Denique allegans pro eo, "Regnum," inquit, "Christianum perdidit non prodidit. Non enim illud sua vel nequitia vel negligentia sive ignavia hostibus prodidit, sed aliis nequissime prodentibus, ipse inculpabilis perdidit; proditus simul ipse perditusque cum regno, et a suis quidem nequissime in manus hostium traditus, Deo autem propitio, liberatus. Aut ergo culpa ejus in hac parte declaretur, aut ei<sup>3</sup> qua nudari non meruit prærogativa servetur." Ægre tulit rex Francorum suam a rege Anglorum non approbari ac per hoc et infirmari sententiam: et tunc quidem cum suum non posset sancire decretum pro tempore siluit. Porro hæc dissensio majoris vel indignationis vel odii fomitem ministravit. Cumque jam pars Guidonis per favorem regis Anglorum præstare videretur,<sup>4</sup> memoratus marchio, ejusdem regis potentiam veritus, cum suis Tyrum rediit. Sane post accessum regis Anglorum exercitus Christianus contra urbem obsessam invaluit, atque infra

<sup>1</sup> *Regionis.*] H. L.; religio-  
nis, C. R.

<sup>2</sup> *Perditorem.*] H. L.; prodi-  
torem, C. R.

<sup>3</sup> *Qua.*] C. H. R.; quia, L.

<sup>4</sup> *Memoratus.*] C. H. L.; præ-  
fatus, R.

diem tricesimum tanti temporis tantique sudoris negotium, ejusdem maxime regis ferventi potenti- que opera, egregie consummavit.

Richard I.  
A. D. 1191.

## CAP. XXII.

*De expugnatione Acræ, et præmaturo discessu regis Francorum.*



**X**GITUR urbs insignis Tholomaida, quam nunc Acram dicunt, postquam obsidentes Christianos multo et diuturno labore exercuit, tandem expugnata est anno <sup>1</sup>a partu virginis M. C LXXX XI. <sup>2</sup>quinto idus Julii, anno ex quo in manus Turcorum inciderat quarto. Denique fortissimi propugnatores ejus, cum jam Christianorum machinis mœnia cederent, cernerentque irruptionem instare hostilem, suimet, quod solum poterant, providentiam habuerunt; pactique sunt principibus nostris pro vitæ suæ redemptione salutiferæ crucis honorificam, hoc est, cum mille et quingentis captivis Christianis, resignationem, nec non et pecuniam copiosam. Huic suorum necessitati Saladinus, qui cum infinito exercitu non longe aberat et subvenire non poterat, auctoritatem præstitit, et ad hæc omnia persolvenda Christianis diem constituit. Itaque resignatam mox civitatem ingressus est cum exultatione et solemni gratiarum actione exercitus Christianus. Armo-

Capture of  
Acre.

July 11.

<sup>1</sup> *A partu virginis.*] C. H. L.; gratiæ, R.

<sup>2</sup> *Quinto.*] C. H. R.; vi<sup>to</sup>. L. According to a majority of au-

thorities Acre surrendered on the 12th of July, or on the 4th of the ides. Vide Diceto, p. 661, and Brompton, col. 1205.



Richard I.  
A. D. 1191.  
Capture of  
Acre.

Death of  
Philip count  
of Flanders.

rum et variæ suppellectilis ingens ibidem copia reperta est, escarum quoque plurimum, opumque nonnihil. Illi vero qui diu fortiter defensam ægre tandem resignaverant civitatem, sub expectatione diei a Saladino constituti servabantur. Tunc rex Francorum delicati sibi hominis tempore belli notam inurens, æstus causando molestiam, et quod illius terræ aerem sustinere non posset publice protestatus, repatriare disposuit; quod Christiano exercitui multum displicuit, et fœda res visa est personæ tanti principis: præsertim cum plurimi aliter, et forte verius, ejus interpretarentur discessum. Quippe illustris Flandriæ comes Philippus, qui cum ceteris fidelibus Christo militaturus in Syriam venerat, paulo ante expugnationem civitatis ibidem piæ militiæ munus <sup>1</sup>expleverat. Et quoniam idem rex vacanti Flandriæ obtinendæ inhiare videbatur, ut honestam discessionis causam prætexeret, peregrini aeris mendaciter causari molestiam credebatur. Dicitur etiam quod regis Anglorum, cujus propter opes longe impares non poterat æquare potentiam, non potuerit nisi oculis ægris et animo saucio specialem videre gloriam; præsertim cum illi potissimum quod jam actum erat ascriberetur, et ex hoc colligeret quicquid de cetero Christianis viribus in Orientis partibus erat agendum, illi potius tanquam potentiori quam sibi ascribendum. Denique non omnino inscius quid de illo sentirent vel dicerent homines, nihilominus obstinato animo adornabat discessum. Rex autem Anglorum propter recentes dissensiones de benevolentia ejus minus confidens, coram viris honoratis, ut dicitur, quod terris suis et hominibus usque

---

<sup>1</sup> *Expleverat.*] Philip of Al- | on Saturday, June 1.  
sace died at the siege of Acre |



ad reditum suum foret innoxius, juratoriam ab eo exegit accepitque cautionem. Ita magnus ille rex Francorum, Christianum, cui serus advenerat, præmature relinquens exercitum, infra diem <sup>1</sup> quintumdecimum ab urbe expugnata, cum multo suorum, id est, Francorum, rubore navem conscendit et abiit; et eorum quidem plurimi qui illi deesse noluere cum illo abiere. Porro dux Burgundiæ, comes Campaniæ, et quique nobiliores contemplatione suæ vel famæ vel conscientiæ, vel etiam ad abolendum proprii principis dedecus, in Terra Sancta <sup>2</sup> pro tempore et in sancta militia persistendum duxere. Quibus nimirum ille, ut dicitur, discessurus præcepit ut marchioni assisterent; et, quotiens se incidens præberet occasio, regi adversarentur Anglorum. Quod utique postmodum sive regii respectu mandati, sive etiam propria petulantia, sive malitia fecisse noscuntur. Unde nimirum Christianum negotium minus prosperari potuit, dum a Christianis minus sincere minusque concorditer ageretur. Cumque idem rex digressus a Tholomaida prosperis flatibus venisset Italiam, Romanum pontificem adiit, absolvi a quodam juramento, quo se contra voluntatem suam asserebat astrictum, importune, <sup>3</sup> ut dicitur, postulavit. Suspendit ad breve callide postulantem vir altioris ingenii, moxque supervenientibus a Syria quibusdam, integre rem edoctus: “ Illud,” inquit, “ juramentum, quod præstitisti regi Anglorum de pace usque ad reditum suum conservanda, quam utique

Richard I.  
A. D. 1191.

The king of  
France re-  
turns home  
with many of  
his nobles.

Desires to be  
absolved by  
the pope  
from his oath  
of amity with  
the English  
king.

<sup>1</sup> *Quintumdecimum.*] According to Trivet, the king of France departed from the Holy Land on the 1st of August, 1191. Trivet, 130.

<sup>2</sup> *Pro tempore.*] C. H. R.; omitted, L.

<sup>3</sup> *Ut dicitur.*] C. H. L.; omitted, R.



Richard I.  
A. D. 1191.

princeps Christianus absque juramento conservare deberes, nullatenus relaxamus, sed tanquam honestum et utile approbantes, auctoritate apostolica roboramus." Itaque deprehensus in astutia sua, et obligatior quam venerat, inglorius repatriavit. Vulgatumque est apud Francos per quosdam concinnatores mendacii, ad purgandum regis sui reditum, quod eum rex Anglorum, insidiose et nequiter quærendo animam ejus, præmature contra propositum suum redire compulerit.

### CAP. XXIII.

*Quæ acta <sup>1</sup>sint a nostris <sup>2</sup>in Syria post discessum regis <sup>3</sup>Francorum.*

Proceedings  
of the Eng-  
lish army in  
Palestine.



**D**IGITUR rege Francorum, ut dictum est, a Syria digresso, rex Anglorum in urbe capta fessum otio necessario recreabat exercitum, nec tamen in illo otio otiosus, circa reficienda quæ machinis cesserant mœnia sollicite satagebat. Affuit tandem dies a Saladino præfixus, quo sacri vexilli resignatio et compromissa captivorum commutatio sperabatur. Verum ille cum nostros inani expectatione suspensos deluderet, rex Anglorum, justo ignitus zelo, captivorum, qui urbe expugnata sub prætaxata pactorum forma servabantur, nobilioribus provida consideratione retentis, duo circiter milia et sexcentos, pactis a parte Saladini non

Massacre of  
prisoners by  
order of  
Cœur de  
Lion.

<sup>1</sup> *Sint.*] H. L. ; sunt, C. R.

<sup>2</sup> *In Syria.*] C. H. L. ; omitted, R.

<sup>3</sup> *Francorum.*] C. H. L. ; Francorum a Sirya, R.

<sup>1</sup>stantibus, decollari præcepit. Quo facto, Turcorum ingens in regem proprium indignatio efferbuit, quod electos juvenes, qui pro ipso fortissime usque ad proprium discrimen sudaverant, ingratus et infidus exposuisset gladio devorandos. Denique eorum quibus munitionum custodia <sup>2</sup>credita erat dum exemplum vererentur, ita labefacti et collapsi sunt animi, ut tyrannus, fere cunctis pro recenti exemplo excusantibus, non habens quibus ipsas munitiones crederet, easdem tanquam consilii inops everti decerneret. Evertébantur ergo <sup>3</sup>et deserebantur in dies per omnem provinciam munitiones nulla vi nullis expugnabiles machinis. Sane post regis Francorum digressum exercitus Domini paulatim cœpit imminui. Eorum quippe qui ad obsidionem Tholomaidæ priores confluxerant, multa milia, absumptis opibus, dum sumptus ad persistendum minus suppeterent, necessitate magis quam voluntate repatriandum duxerunt: multi etiam sumptibus abundantes, vel laborum tædio, vel periculorum metu, vel solo regis Francorum ener-vati exemplo, abierunt. Tunc rex Anglorum proprios thesauros aperiens, plurimos nobiles principesque exercitus cum suis militiis, qui advectas secum opes mora productioni laudabiliter absumpserant, et declarata inopia sua redire ad propria excusabiliter <sup>4</sup>proponebant, largis, ut in exercitu Domini persisterent, invitavit stipendiis: e quibus fuit ex imperio Teutonico dux Austriæ, qui postea tanti beneficii immemor, <sup>5</sup>et cujusdam non magnæ

Richard I.  
A. D. 1191.

The fortifica-  
tions of Acre  
destroyed.

Scarcity in  
the Christian  
camp.

Munificence  
of the Eng-  
lish king.

<sup>1</sup> *Stantibus.*] C. H. L.; ob-  
stantibus, R. omitted, L.

<sup>2</sup> *Credita erat.*] C. H. L.; cre-  
debatur, R. <sup>4</sup> *Proponebant.*] C. H. L.; pro-  
posuerant, R.

<sup>3</sup> *Et deserebantur.*] C. H. R.;  
omitted, R. <sup>5</sup> *Et . . . memor.*] C. H. L.;



Richard I.  
A. D. 1191.

Richard re-  
stores the for-  
tifications of  
Acre.  
September.

Marches to  
Cesarea.

Gains the  
battle of  
Azotus,  
7 Sept.

injuriae plus justo memor, sceleratas repatrianti regi, cujus stipendiarius fuerat, manus injecit, ut suo loco monstrabitur: et dux Campaniae, qui eximiae virtutis titulo Christianae postmodum acquisitionis principatum promeruit, ut infra exponetur. Denique expugnatae civitatis moenibus instauratis, et sufficienter refecta multitudo, mense Septembri rex Anglorum, cui jam fere totus devote parebat exercitus, ad alias urbes maritimas progredi statuit. Procedebant ergo ordinate et caute agmina Christiana. Porro infinitus Turcorum exercitus, duce Saladino, æquis haud procul passibus gradiebatur, ancipitem quidem proelii eventum declinans, extremos vero nostrorum raptim aggrediens, et nonnulla re acta refugiens, ut est illud hominum genus mirae astutiae ad nocendum, nec minus arte quam viribus pugnare assuetum. Itaque exercitus noster in multo laboris et periculi experimento pervenit Cæsaream, Christianis olim incolentibus metropolim inclytam, tunc vero <sup>1</sup>hostili desolatione inanem et vacuam. Cumque ibidem modice respirasset, iter propositum cum alacritate repetiit. Et primo quidem agmine <sup>2</sup>procedente, jamque apud Assur castra metante, Saladinus, captato tempore, agmen extremum totis aggressus est viribus. Idem autem agmen per quatuor mox turmas dispositum irruentis impetum fortiter excipiens, Deo propitio, ipsum cum tremendis suis copiis enerviter fugere compulit; tantaque eo die, hoc est, septimo idus Septembris, ibidem nobilium Turcorum strages facta est quantam ab annis retro quadraginta, ut fertur, uno die Saladinus expertus non fuerat. De nostris vero ibidem

---

<sup>1</sup> *Hostili desolatione.*] C.H.L.; | <sup>2</sup> *Procedente.*] H. L. R.; præ-  
per hostilem desolationem, R. | cedente, C.



occubuit **Jacobus de Aveniis**, vir plane optimus, et meritis præcellentibus universo exercitui Christiano carissimus; qui ejusdem exercitus præclara per annos aliquot columna extiterat, atque in proposito pie suscepto sincere et strenue perseverans, nec levem unquam maculam dederat in gloriam suam. Cujus profecto laudabili devotioni divino munere retributum est, ut <sup>1</sup>in omnipotentis Dei obsequio gloriose occumberet, et mediante discrimine brevi, temporalem felicitatem, ut pium est credere, æterna mutaret. Denique luxit vehementer cum omni exercitu rex Anglorum, assumptum tanquam emeritum a rege Angelorum. Indeque progressus usque **Joppen**, incursione jampridem tyrannica Christianis vacuatam civibus, tunc vero derelictam et desolatam ab hostibus, loci opportunitate conspecta, eandem totis cœpit viribus instaurare. Audiens autem **Saladinus** quod **Ascalonam** oppugnare disponderet, eandem clarissimam civitatem, et **Tholomaida** quæ longo tempore exercitum fatigaverat Christianum multo firmiorem, subita eversione damnavit. Tantus eum post recentem suorum cladem Christianæ constantiæ terror invaserat, atque ita **Turcorum** animos eorum, qui apud **Tholomaidam** in manus Christianorum inciderant, recens exemplum <sup>2</sup>præstrinxerat! Urbes quoque reliquas et castella terræ illius, præter sanctam civitatem et munitiones paucissimas, complanavit, totamque provinciam, abrais bonis omnibus, inutilem <sup>3</sup>hostibus reddidit. Nec jam <sup>4</sup>aliquid audendum putabat

Richard I.  
A. D. 1191.

Prowess of  
James de  
Avènes.

King Richard repairs  
Jaffa.

Saladin destroys the  
fortifications  
of Ascalon,  
Acre, and  
other cities.

<sup>1</sup> *In.]* H. L.; omitted, C. R.

<sup>2</sup> *Præstrinxerat.]* C. H. L.; perstrinxerat, R.

<sup>3</sup> *Hostibus.]* C. H. L.; omitted, R.

<sup>4</sup> *Aliquid audendum putabat experientia virium.]* C. H. L.; aliquid audendum putabat experimentum virium, R.



Richard I.  
A. D. 1191.

Discord  
amongst the  
Crusaders.

experientia virium, sed nocebat insidiis, et incensanter abscondebatur tendiculas fraudum. Nostri quoque post tam læta principia nihil jam magnum et memorabile agere poterant propter internum discordiæ malum quo languebant. Principes enim non cohærebant, sed mordaci æmulatione dissentiebant ab invicem: nec poterant <sup>1</sup>in commune consulere, studiis in diversa nitentibus contraria discernentes. Denique Conradus marchio et princeps famosissimæ firmissimæque urbis Tyri, adjuncto sibi duce Burgundiæ et nobilibus Francorum cum subjectis copiis, regi adversabatur Anglorum æmulanti pro Guidone olim rege Jerosolymorum. Rex vero propter magnitudinem animi ac virium, quos forte per mansuetudinem unire sibi poterat, indignantis animi motibus exasperabat. Quia ergo in nostro exercitu non id ipsum dicebant omnes, sed schismata pullulabant, tantæ expeditionis jam stabat negotium et non procedebat.

#### CAP. XXIV.

*Quomodo Conradus marchio <sup>2</sup>a sicariis interfectus est.*



Death of the  
queen of Je-  
rusalem.

ERUM supradictorum duorum æmulorum quanto animosior tanto et vanior pro regno incerto contentio, postquam motus in exercitu Domini plurimos peperit, extremæ demum sortis beneficio conquievit. Regina <sup>3</sup>quippe Jerosolymorum, quæ, ut <sup>4</sup>supra plenius dictum est, memo-

<sup>1</sup> *In commune.*] H. L. R.; communiter, C.

<sup>2</sup> *A sicariis.*] C. H. R.; sicariis, L.

<sup>3</sup> *Quippe.*] H. L. R.; quoque, C.

<sup>4</sup> *Supra plenius.*] C. H. L.; superius plenarie, R.

rato Guidoni infelicissime nupserat, sera tandem morte deficiens, illi ratione tantum regii conjugii de regno contententi silentium indixit. <sup>1</sup>Marchio quoque nefarie a sicariis <sup>2</sup>interemptus, regnum ambire cessavit. Incertum a quo malignante immissi duo sicarii in ejus obsequio sub schemate militantium diuscule fuerant, patrandi vel cum proprio periculo sceleris opportunitatem jugiter observantes; qua inventa, clarissimum virum, solito paucioribus forte stipatum ministris, in medio propriæ civitatis, cum prope tanquam noti assisterent, repente aggressi, clandestinis cultris extractis mactarunt. Fertur enim esse in Oriente agens sub ditione cujusdam potentis Sarraceni, quem Senem <sup>3</sup>agnominant, quoddam hominum genus adeo seductibile atque in propriam proclive perniciem, ut ab eodem quem scilicet loco prophetæ colunt, artificiosissimis fallacium pollicitationum præstigiis sollicitatum atque illectum, immortalia se post mortem commoda percepturos aestiment, si illi imperanti usque ad mortem obtemperent. Qui nimirum cum forte a quolibet præpotente infestari metuit sive jam infestatur, ad ejus peremptionem subornatos ex illo genere emittit sicarios. Illi vero ad exitium, tanquam ad solemne epulum, cum gaudio properantes, nihil aliud ambiunt vel explorant, nisi ut, arrepto tempore pro certa mandati impletionem, certo se discrimini exponentes, designatum hostem commorituri <sup>4</sup>interimant. Denique propter hoc maxime genus orientales principes provisorii

Richard I.  
A. D. 1191.

Conrad of  
Montferrat  
assassinated.

<sup>1</sup> *Marchio.*] Conrad of Montferrat was assassinated on the 27th or 29th of April, 1192.

<sup>2</sup> *Interemptus.*] C. H. L.; necatus est et interemptus, R.

<sup>3</sup> *Agnominant.*] C. H. L.; cognominant, R.

<sup>4</sup> *Interimant.*] H. R.; interimant, C. L.



Richard I.  
A. D. 1191.

se custodia muniunt, et præter familiarissimos nullius ad se, nisi propriis stipatoribus mediis, patiuntur accessum. Verum quoniam iidem pestilentes plerumque, dum forte minus observarentur, ad necem clarissimorum virorum per medias custodias irruerunt, nullus magnorum qui sunt in terra tributum vel obsequium quodlibet a memorato Sene per potentiam exigit, vel quietem ejus aliquatenus perturbare præsumit. Soli Templarii, dum in Syria res Christianæ flourerent, tanquam mortis contemptores, ausi sunt eum impetere, et foederatum obsequia coegerunt præstare. Sciebat enim parum actum esse si forte per ministros proprios quemlibet magistrorum ejusdem militiæ perderet; quæ utique mox alium sibi creans acrius pro extincti ultione sæviret. Ex hoc sane funestissimorum satellitum genere fuisse creduntur qui memoratum Tyri principem astu ausuque nefario peremerunt, commori non timentes. Comprehensi autem et subtiliter requisiti quo id auctore vel incentive egissent, ad mortem prompti et hilares nihil certum <sup>1</sup>vel credibile dixerunt. Itaque latet adhuc quis tanto viro necem fuerit hujusmodi machinatus. Verum occasione recentis discordiæ qua disceptaverat cum rege Anglorum, proclives fuere plurimi ad succendendum super hoc eidem regi; Francis maxime illum infamantibus, qui pro marchione æmulati fuerant, multamque illi de morte viri præclari invidiam conflantibus per omnem fere orbem Latinum.

---

<sup>1</sup> *Vel credibile.*] C. H. L.; omitted, R.

## CAP. XXV.

*Quomodo rex Francorum necem marchionis refudit in regem Anglorum, et de conventu Parisiensi.*



**S**ANE postquam perccepit apud regem Francorum quod marchioni acciderat, de amici quidem indigno exitu doluit; sed mox hunc dolorem suscepta cum ingenti gaudio sugillandi regem Anglorum occasio compensavit. Cumque in propriis esset finibus tam longe a Syria constitutus, illius in Oriente consistentis vel frustra timebat vel potius se, ad augendam invidiam, timere fingeat insidias; et tanquam ab eo subornati imminerent sicarii, præter morem majorum suorum non nisi <sup>1</sup>armata vallatus custodia procedebat, in tantum ut quidam familiari ausu propius accedentes, non sine periculo hoc ausi dicantur. Mirantibus hanc novitatem regiam plurimis, ut pro ea satisfaceret gentemque suam in regem Anglorum accenderet, præsulum procerumque suorum concilium Parisius convocavit. Ubi allegans contra eundem regem plurima tanquam certa, atque, inter cetera, quod virum illum nobilissimum <sup>2</sup>nequissime per diros satellites peremisset, litteras quoque protulit a quibusdam potentibus sibi, ut dicebat, transmissas, quibus monebatur propensiores suimet habere cautelam; sciens quod rex Anglorum insidiaturos animæ suæ ab Oriente jam direxisset sicarios. “Quamobrem,” inquit, “nemo debet mirari quod præ-

Richard I.  
A.D. 1192.

King Philip  
pretends to  
fear being  
assassinated,

and appoints  
himself a  
body guard.

Summons a  
council at  
Paris,

and accuses  
Richard of  
designs upon  
his life.

<sup>1</sup> Armata.] C.H.L.; firmate, | <sup>2</sup> Nequissime.] C.H.L.; ne-  
R. | quiter, R.



Richard I.  
A. D. 1192.

ter solitum diligentiores mei ipsius curam habeam; quam tamen si reputatis vel indecentem vel superfluum, decernite amovendam." Adjecit etiam, cordi sibi esse de manifesto proditore proprias mature ulcisci injurias. Ad hæc plurimi adulatorie responderunt, bonum honestumque esse et quod pro cautela faciebat et quod pro ultione disponebat. <sup>1</sup> Prudentiores vero dixerunt: "Cautelam quidem tuam, rex, qua tibi contra incertos casus forte abundantius prospicis, non culpamus; præmaturæ vero ultionis propositum minime approbamus. Nam et si vera sint quæ de rege Anglorum dicuntur, non tamen est petulanter et <sup>2</sup> præpropere agendum, sed respectu <sup>3</sup> honesti sustinendum, quousque ad propria revertatur qui propter Christum peregrinari noscitur. Denique si reversus vel objecta purgare potuerit vel de excessibus satisfacere voluerit, bene actum erit; sin autem, expectandæ ultionis, justitia comite, congruum tempus erit. Quod si nostrum consilium minus placet, Romanus pontifex, qui de rebus modernorum peregrinantium quietem sub gravi censura sancivit, super his consulatur, ejusque, ut dignum est, sententia expectetur." Hæc dicentes viri cordati et sobriis rationibus astruentes, sævientis impetum ad tempus frenarunt ne peregrinantis terras invaderet. Quievit ergo ad modicum: non tamen in illo extorto magis quam spontaneo otio desiit regno et regi Anglorum cruentum moliri negotium, veteres scilicet Anglorum hostes Dacos ad mortuam olim querelam artificiose suscitare conatus. Verum hæc tam maligna molitio, Deo ordinante,

---

<sup>1</sup> *Prudentiores.*] H. L.; providentiores, C.; prudentes, R. | mature, R.  
<sup>2</sup> *Præpropere.*] C. H. L.; præ- | <sup>3</sup> *Honesti.*] C. H. L.; honesto, R.

Anglis non nocuit; auctorem vero suum <sup>1</sup>nævo inexpressibili denigravit. Famosa res est et propter claritatem personæ mundo notissima.

Richard I.  
A. D. 1192.

## CAP. XXVI.

*Quomodo rex Francorum duxit sororem regis Dacorum,  
et quomodo repudiavit eam.*



**N**GITUR rex Francorum missis ad regem Dacorum viris honoratis, germanæ ejus laudatissimæ virginis nuptias solemniter expetivit. Rex autem Dacorum magnifice legatos suscipiens, petitionem quoque, <sup>2</sup>de optimatum suorum consilio, libenter amplexus est. "Et quid," inquit, "dominus vester vult sibi <sup>3</sup>dari dotis nomine?" Illi vero, prout in mandatis acceperant, "Antiquum," inquit, "jus regis Dacorum in regno Anglorum, et ad hoc assequendum classem exercitumque <sup>4</sup>Daciæ anno uno." Tum ille, "Rem," inquit, "difficilem postulat: veruntamen deliberabo an concedi debeat." Cumque super hoc regni sui inclytos seorsum consuleret, responderunt: "Satis nobis negotii est contra paganam et nostris vicinam finibus gentem Wandalorum. Illisne ergo dimissis, hostiliter aggrediemur Anglorum gentem Christianam atque innoxiam, duplici nosmetipsos periculo immergentes? Nam si Anglos <sup>5</sup>aggredimur, ferocissimis, qui juxta nos sunt, barbaris fines nostros exponimus. Porro

Marries the sister of the King of Denmark, hoping to persuade the Danes to declare war against England.

<sup>1</sup> Nævo.] C. H. L.; veneno, R.

<sup>2</sup> De.] C. H. L.; omitted, R.

<sup>3</sup> Dari.] C. H. R.; dare, L.

<sup>4</sup> Daciæ anno uno.] C. H. L.; Dacianorum, R.

<sup>5</sup> Aggredimur.] H. R.; aggrediemur, C.; aggredemur, L.



Richard I.  
A. D. 1192.

Anglorum gens magna et valida opibusque famosa, propriæ vel saluti vel libertati contra omnem vim externam tuendæ sufficere creditur. Proinde aliud petat rex Francorum, si voluerit, dotis nomine: cum tu, rex, non debeas cum propriæ gentis periculo germanæ tuæ honorabiles nuptias providere." Placuit regi consilium sobrium, jussitque legatos aliud dicere, si quid haberent. Illi vero, expirante petitione prima, decem marcarum argenti milia petierunt. Ad hæc rex magnanimus: "Rem," <sup>1</sup>inquit, "rex Francorum a rege Dacorum nunc petit pertinem ratione negotii et personarum. Petitionem ejus grate <sup>2</sup>suscipimus, et votum mature implebimus." Tunc pactis initis, et sacramento a legatis præstito pro completionem pactorum, ornatam, ut decuit, cum summa postulata tradidit virginem, et de suis honoratos quosdam qui prosequerentur eam usque in Franciam una direxit. Rex autem Francorum occurrit ei Ambianis, ibique solemniter nuptiali sibi fœdere copulatam, etiam thoro accivit. Verum post initi fœderis, ut dicitur, noctem unam, incertum unde offensus, abjecit eam: rem plane faciens non tantum illicitam, sed etiam personæ regiæ multum indecoram. Causa sane pudendæ levitatis hujus varie assignatur. Dicunt enim quidam, quod propter foetidum oris spiritum, alii, quod propter <sup>3</sup>latentem quandam fœditatem, repudiaverit eam, vel quia non invenit eam virginem. Indignæ proculdubio causæ hujusmodi, atque ad dirimendum conjugium Christianum invalidæ. Verum cum præcipitati repudii causa sit incerta, incertum tamen non est eum qui fodit foveam

<sup>1</sup> *Inquit.*] C. H. L.; inquit | cepimus, C.

grandem, R.

<sup>2</sup> *Suscipimus.*] H. L. R.; sus- | <sup>3</sup> *Latentem.*] C. H. R.; omitted, L.



incidissee in eam, illum scilicet qui sub prætextu nuptiarum gentis innoxiae et Christianae sitivit impie sanguinem, perspicuo Dei judicio ex ipsis nuptiis sempiterni dedecoris reportasse mercedem. Porro, ut infami operi honestae speciei colorem superduceret, et vel ad homines, quod utique ad Deum non poterat, contracti matrimonii foedus abrumperet, Romano pontifici per responsales calidos insinuare curavit surreptione quadam se propriam duxisse affinem, postulans vinculo minus legitimo eximi. At ille delegavit iudices ex regno postulantis, forti tamen mandato astrictos uti in hoc negotio juxta integritatem canonicae procederent sanctionis. Qui nimirum suo regi plus justo propitii, affinitate per duorum pseudo-episcoporum, <sup>1</sup>Beluacensis scilicet et <sup>2</sup>Carnotensis, execrabile perjurium imaginarie approbata, divortium celebrarunt. Et Beluacensis quidem postea Dei judicio traditus in manus regis Anglorum, eundem satis idoneum expertus est in severitate ultionis Dei ministrum. Carnotensis vero, qui morum proluvie minus esse episcopus dicitur, Dei adhuc patientia sustinet, ut tarditatem poenae quantitate compenset. Sic itaque rex Francorum in facie ecclesiae exosi connubii lege solutus, ad alias paulo post nuptias aspiravit; quibus tamen potitus non est, ut suo loco dicetur.

Richard I.  
A. D. 1192.

Obtains a  
divorce from  
this lady on  
the plea of  
consanguinity.

<sup>1</sup> *Beluacensis.*] Philippe de Dreux, bishop of Beauvais, son of Robert comte de Dreux, brother of Louis VII. This prelate was taken prisoner whilst fighting against king Richard: and did not regain his liberty until 1202, when he consented to pay

a ransom of 6000 marks of silver. He died in 1217.

<sup>2</sup> *Carnotensis.*] Regnault or Rainald, bishop of Chartres, son of Rainald II. comte of Bar and Monçon, died on the 8th of December, 1217, in the twenty-eighth year of his episcopacy.



## CAP. XXVII.

*Quomodo Eboracensis archiepiscopus præcipitavit sententiam excommunicationis <sup>1</sup>in episcopum Dunelmensem.*

Richard I.  
A. D. 1192.  
Contention  
between the  
Archbishop  
of York and  
the Bishop  
of Durham.



**N**II diebus <sup>2</sup>Geofridus archiepiscopus Eboracensis et <sup>3</sup>Hugo episcopus Dunelmensis sua fortius, et remissius ea quæ sunt Christi, quærentes, cum multo et gravi scandalo disceptarunt. Ille, ut præesset; iste, ne subesset: neuter vero, ut prodesset. Ita quippe in diebus nostris pastorale decus evanuit, ut inter pastores ecclesiasticos admodum rarus inveniatur intelligens aut requirens Deum, dum fere omnes quæ sua sunt quærunt. Et quidem paulo ante ejusdem Geofridi electi adhuc Eboracensis pendente fortuna, Clemens Romanus pontifex, intercedentibus obsequiis, eundem episcopum cum suis omnibus ab archiepiscopi Eboracensis jurisdictione exemerat. Porro successor ejus Cælestinus Eboracensis ecclesiæ jura et dignitates redintegrans, eandem exemptionem cassavit. Geofridus itaque de mandato sedis apostolicæ Turonis ordinatus, et ad sedem propriam cum metropolitani honore reversus, de memorato episcopo, quem ante ordinationem suam infestum expertus fuerat, triumphare cupiens, canonicam ab eo professionem instanter exegit. Ad quam ex more præstandam cum ille nullatenus

<sup>1</sup> *In episcopum Dunelmensem.*] defridus, C.  
C. H. L.; omitted, R.

<sup>2</sup> *Geofridus.*] H. L. R.; Geo-

<sup>3</sup> *Hugo.*] Hugh Pudsey, bishop of Durham.

inclinaretur, sed appellationis se diffugio et quorundam enormium capitulorum objectu tueri niteretur: idem archiepiscopus excommunicationis in eum sententiam præpropere, et motu magis proprio quam prudentum consilio, promulgavit. Verum sicut hic appellationem et objecta, ita ille sprevisitque sententiam. Uterque mox ad sedem apostolicam instructos responsales direxit; hic pro confirmanda, ille pro infirmanda evacuandaque sententia quæ lata fuerat. Et hic quidem cupiens experiri sinceritatem Romanam, vel potius sufficere judicans quod profusioribus obsequiis pro negotio promotionis suæ paulo ante placasset Romanos, simpliciter postulavit; ille vero sagacius, prout a Romanis postulari oportuit, postulandum putavit: tantoque factus est in causa potior quanto et pollicendo ponderosior. Denique non solum pro eo est pronunciatum quod sententia illa non teneret, verum etiam ei, sive pro acceptæ injuriæ consolatione sive etiam pro insolentis adversarii humiliatione indultum, ut illi tanquam metropolitano subesse ulterius non deberet. Sic ergo exemptus a jurisdictione potestatis suspectæ, victoriam suam quanto gloriosius tanto et vanius ostentavit. Porro idem archiepiscopus post successus præclaros initium malorum hoc habuit, uti sequentia declarabunt.

Richard I.  
A. D. 1192.  
Quarrel between the  
Archbishop  
of York and  
the Bishop of  
Durham.

---

<sup>1</sup> *Risitque.*] C. H. L.; *derisitque*, R.



## CAP. XXVIII.

*Cur minus actum sit a nostris in Oriente, et de repatriatione peregrinorum.*

Richard I.  
A. D. 1192.  
Affairs of the  
Holy Land.



Richard re-  
builds the  
fortifications  
of Ascalon.

**N**TEREA exercitus Christianus regi regum in Oriente militans, in multo laborum et periculorum experimento agebat. Veruntamen Christianum negotium minus procedebat, tum propter dissensiones æmulationesque ducum, ut dictum est, tum propter difficultates plurimas, tanquam Deo minus propitio obsistentes. Decernebant quidam adeundam totisque <sup>1</sup>oppugnandam viribus sanctam civitatem quam impii prophanebant; aliis vero hoc impossibile videbatur, certis ex causis. Terra quippe, quæ paulo ante fertilissima fuerat et quasi omnimodæ copię promptuarium, maligna et callida Saladini provisione redacta erat in solitudinem, ne scilicet Christianus exercitus quantulumcunque ex ea subsidium caperet; unde nec poterat a mari ad aliquod majus negotium longius progredi, cum solum ei mare navigiis necessaria ministraret. Rex autem Anglorum exacta hieme in montanis, cum aliud non posset, urbes maritimas quas Turci eversas reliquerant, et maxime Ascalonam, summo studio et profusis opibus instaurare cœpit, carpentibus eum æmulis, et rumores de illo pessimos per totum fere orbem Christianum spargentibus: scilicet quod regem Francorum insidiis appetisset—quod Con-

<sup>1</sup> *Oppugnandam.*] C. H. L.; expugnandam, R.

radum marchionem virum Christianissimum nefarie per sicarios peremisisset—quod cum Saladino de prodicione terræ sanctæ <sup>1</sup>nequissime collusisset—atque ideo ad expugnandam civitatem sanctam accedere noluisset. Porro ille cœptis insistens, præ animi magnitudine æmulantium maledicta et molimina contemnebat. Sane post memorati marchionis interitum, cum et Guido quondam rex Jerosolymorum, qui cum eo contenderat, uxore sublata, solo jam regis nomine esset contentus, deliberavit rex Anglorum cum ducibus et nobilibus universis cuinam fines Christianos crederent, mature ad propria reversuri. Et concordi decreto <sup>2</sup>constituerunt principem Christianæ acquisitionis Henricum, illustrem Gallicanæ Campaniæ comitem, utriusque regis, Francorum scilicet et Anglorum, communem ex communi germana nepotem, tantis condignum avunculis. Quo facto, et novo principi integre traditis munitionibus Christianis, ordinatisque præsidiis urbium, principes et populi, tanquam expleto militiæ tempore, cum jam sumptus ad moram deficerent, certatim repatriare cœperunt, anno ab expugnatione Tholomaidæ secundo, tempore autumnali. Veruntamen eorum qui post Christianæ in terra sancta plebis excidium propter Christum peregrinati fuerant <sup>3</sup>nec quarta pars ad propria rediit. Cum enim ex omni fere orbe Christiano infinita hominum milia ad illam peregrinationem sanctæ devotionis fervor <sup>4</sup>accenderit, vel morbus, vel gladius, vel inedia, vel laboris intolerantia partem longe majorem <sup>5</sup>absumpsit. In

Richard I.  
A. D. 1192.  
Affairs of the  
Holy Land.

Henry, Earl  
of Cham-  
pagne elect-  
ed King of  
Jerusalem.

Richard re-  
tires.

<sup>1</sup> *Nequissime.*] C. H. L.; omitted, R.

<sup>2</sup> *Constituerunt.*] C. H. L.; statuerunt, R.

<sup>3</sup> *Nec.*] C. H. L.; vix, R.

<sup>4</sup> *Accenderit.*] C. H. L.; accenderet, R.

<sup>5</sup> *Absumpsit.*] C. H. L.; absumperat, R.



Richard I.  
A. D. 1192.  
Affairs of the  
Holy Land.

qua re considerata est altitudo sapientiæ Dei de suorum quos ad vitam præordinavit æternam, temporali vel salute vel felicitate minus curantis, et eorum clades temporales ad supernæ civitatis completionem subtili provisione derivantis. Non enim est dubium eos qui, relictâ patria atque omni<sup>1</sup> necessitudine carnali, tantis se laboribus, periculis, et cladibus propter Christum exponentes in hac laudabili devotione vitam temporalem finire meruerunt, illis annumerandos de quibus dicitur, “<sup>2</sup> Beati mortui qui in Domino moriuntur,” cum non solum in Domino sed etiam pro Domino mortui esse probentur. Proinde fidenter dixerim, quod multo clementius superna cum illis pietas egerit, <sup>3</sup>multoque felicius illis contigerit qui in illa peregrinatione vitam terminantes, felici compendio ad æterna migrarunt, quam qui repatriantes cum sospitate corporali ad sordes pristinas remearunt. Quippe in eis quos ex illa peregrinatione ad propria reversos cognovimus, etiam ad mores pristinos post tanta propter Christum tolerata incommoda reversos videmus. Mirum quidem videtur quod Dominus suæ incarnationis, passionis, resurrectionis, ascensionisque sacratissima loca a gente spurcissima occupari et prophanari permiserit. Verum divinæ permissionis <sup>4</sup>hujus tunc quidem occulta erat, nunc autem manifesta est ratio. Quippe occasione illius tam dolendi pudendique casus infinitis peccatoribus ad studium pietatis conversis, tanta piarum milia animarum in quinquennali jam spatio ad æternam requiem superni

<sup>1</sup> *Necessitudine.*] C. H. L.; celsitudine, R.

<sup>3</sup> *Multoque . . . contigerit.*] C. H. L.; omitted, R.

<sup>4</sup> *Hujus.*] C. H. R.; erased from L.

<sup>2</sup> *Beati.*] Apocalypse xiv. 13.

ordinatoris manus assumpsit, quanta per integritatem terrenæ Jerusalem, illa quæ sursum est <sup>1</sup>Jerusalem, quæ est mater nostra, ad suam completionem annis retro plurimis non suscepit. Ita ergo rex noster attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter, et malis quoque hominum utens optime, dum terrenam suam Jerusalem et fines ejus propter peccata habitantium in manus hostium tradidit, cœlestis suæ Jerusalem uberiora <sup>2</sup>subtiliter lucra quæsivit.

Richard I.  
A. D. 1192.  
Affairs of the  
Holy Land.

## CAP. XXIX.

*Quomodo rex Anglorum liberavit Joppen, et de induciis Christianorum et Turcorum.*



**S**ANE repatriantibus ceteris præter eos qui ordinati erant ad præsidia urbium, nec illustri Anglorum regi, qui jam proprios in sumptibus <sup>3</sup>diuturnæ militiæ thesauros exhauserat, productionis moræ in Syria facultas fuit. Rebus <sup>4</sup>ergo dispositis, et datis nepoti, quem regni exigui principem relinquebat, <sup>5</sup>mandatis, Cyprum cum suis rediit, inde opportune profecturus. Quibus agnitis, Saladinus super Joppen, minus sufficienti munitam præsidio, cum exercitu irruit, eaque celeriter expugnata, et facta Christianorum strage non

Saladin besieges Jaffa.

<sup>1</sup> *Jerusalem.*] C. H. L.; omitted, R.

<sup>2</sup> *Subtiliter.*] C. H. L.; omitted, R.

<sup>3</sup> *Diuturnæ.*] C. H. R.; diurnæ, L.

<sup>4</sup> *Ergo.*] C. H. R.; vero, L.

<sup>5</sup> *Mandatis.*] C. H. R.; regni munitionibus, L. This MS. stood originally thus, m — but has since had *regni* written above the *m*, and *munitionibus* inserted in the margin.



Richard I.  
A. D. 1192.  
Affairs of the  
Holy Land.

Richard  
hastens to its  
relief.

Battle of  
Jaffa.

The English  
king falls  
sick.

Concern of  
Saladin  
thereat.

modica, reliquos in arce conclusos obsedit. Tum nostri eo modo quo poterant prævidentes ne usque ad <sup>1</sup>internicionem reliquiæ delerentur, immanissimo tyranno pacti sunt deditionem arcis ad diem certum, nisi forte Christianus superveniret exercitus. Et ille quidem nostrorum qui abierant reditum non metuens, quietus jam erat, tanquam incruento negotio arcem mature ingressurus. Rex autem Anglorum ubi sinistri eventus nuncium accepit, tristitia mox in virtutis materiam versa, cum omnibus quos eum non sequi pudebat secundis flatibus Syriam celeriter rediit, Turcos inopinato ejus reditu impetuque perterritos in fugam convertit. Qui rursum conglobati, fretique ingentibus numeris, eum in Joppe clausum frustra conati sunt obsidere. Egressus quippe in spiritu fortitudinis, et non solum optimi ducis verum etiam fortissimi militis implens officium, per dies aliquot cum eis in campo confligit, et manu longe impari tremendas Turcorum copias tandem, <sup>2</sup>Christo propitio, ita protrivit, ut invictum ejus animum mirantes, et nihil contra eum ulterius audendum putantes, recederent. Joppe igitur liberata, apud castellum quod dicitur Caiphas diebus aliquot ægrotavit. Quo audito Saladinus, ut dicitur, non tanquam de hoste debilitato exultavit, sed tanquam de invictissimi principis incommodo doluit. Missisque ad eum nunciis: "Scio," inquit, "quod in hac terra etiam sospes prolixior moram facere nequeas: te autem abeunte, quod a Christianis cum tanto labore acquisitum est, certo exponetur periculo, et mediocri negotio <sup>3</sup>recidet in manus meas. Verun-

<sup>1</sup> Internicionem.] C. H. L.; interemptionem, R. | <sup>3</sup> Recidet.] C. H. L.; incidet, R.

<sup>2</sup> Christo.] C. H. L.; Deo, R.



tamen propter te, cujus egregiam magis virtutem veneror quam animum hostilem aversor, triennii inducias Christianis indulgeo. Ascalona tantum nec mihi nec illis sit, sed destruat<sup>ur</sup>.” Rex autem licet ægre ferret urbem everti in cujus recenti instauratione sumptuosissimo frustra labore sudaverat, consilio tamen et desiderio patriarchæ, et novi principis, omniumque Christianorum terræ illius, inducias amplexus est, respectu quidem urbis evertendæ minus honestas sed fortiori ratione multum necessarias. Itaque per operam regis Anglorum, solis culpandam æmulis, celebratæ firmatæque sunt inter Christianos in Palestina consistentes et Turcos Saladino subditos induciæ a Paschali solemnitate proxima in tres annos, tres menses, tres septimanas, tres dies, tres horas. Indultum quoque firmiterque statutum est a Saladino in gratiam regis Anglorum, ut Christiani toto induciarum tempore secure et libere sepulchrum Dominicum orandi studio visitarent, nihilque molestiæ a Sarracenis in accessu vel reditu patientes, expletis orationum solemnibus cum fructu devotionis suæ Christianis se finibus redderent. Quamobrem sancitis, prout oportebat, induciis, Christianorum ingens numerus ad sanctam civitatem contendit, et votis potitus cum longi satisfactione desiderii hilariter repatriavit. Et rex quidem qui unus pro decem milibus computabatur, dum propter casus ancipites de consilio sapientum propriæ cautius saluti prospiceret, minus satisfecit devotioni. At vero Hubertus Salesbiriensis episcopus, qui ejus in illa expeditione comes individuus et fidus prudensque cooperator extiterat, regiæ devotionis vicem implere curavit. Denique, ut dicitur, pro se et principe sepulchrum principis principum visitans, fuso ibidem piarum profluvio lacrimarum

Richard I.  
A.D. 1192.  
Affairs of the  
Holy Land.

Truce con-  
cluded for  
three years.

Christians  
are permit-  
ted to visit  
the Holy Se-  
pulchre.



Richard I.  
A. D. 1192.  
The king-  
dom of Cy-  
prus con-  
ferred upon  
Guy of Lu-  
signan.

et sacra hostia immolata, suorum pariter et regio-  
rum compos votorum ad principem rediit. Quibus  
actis, idem rex repatriandi propositum declaravit,  
insulam Cyprum Guidoni olim Jerosolymorum  
regi, viro strenuissimo, mera liberalitate donavit.  
Dilecto nepoti, quem finibus Christianis præfece-  
rat, suam, Christo propitio, reversionem circa in-  
duciarum expletionem pollicitus, caractere Do-  
minico, quo insignitus advenerat, in argumentum  
propositæ reversionis retento, infidis se flatibus  
credidit.

## CAP. XXX.

*Quod, Deo disponente, plus actum sit illa expeditione  
pro superna quam terrena Jerusalem, et de morte  
Saladini.*

Reflections  
on the af-  
fairs of the  
Holy Land.



NUNC exitum occulto Dei judicio ha-  
buit Christiana illa tam sumptuosa,  
laboriosa, <sup>1</sup>periculosa contra imma-  
nissimum sacri et tremendi nominis  
hostem Saladinum expeditio magno-  
rum regum, inclytorum ducum, innumerabilium  
populorum. Et quidem tantis sumptibus, pericu-  
lis, laboribus, pro recuperanda terrena Jerusalem  
parum actum est, pro instauranda vero superna  
Jerusalem plurimum, uti superius ostensum est.  
Deo enim melius quam humana erat intentio  
disponente, tam multa Christianorum in suscepta  
pro Christo tam laboriosa peregrinatione occum-  
bentium <sup>2</sup>milia, quæ quidem secundum intentionem

<sup>1</sup> *Periculosa.*] C. H. L.; et | <sup>2</sup> *Milia*] H. L. R.; omitted,  
periculosa, R. | C.

pro recuperatione terrenæ Jerusalem frustra succedisse videntur, cum fructu pii laboris tanquam vivi lapides in illius quæ sursum est Jerusalem ædificium transierunt. Veruntamen sicut defectui temporum nostrorum, quibus utique abundante iniquitate refrigescit charitas, imputandum est quod loca sacra in quibus redemptionis nostræ celebrata sunt sacramenta tradita sunt in manus impiorum: ita et illud quod pro recuperatione eorundem locorum tantis laboribus et sumptibus Christianum minus processit negotium. Itaque propter nostrorum defectum et dedecus temporum, oportet civitatem sanctam conculcari et profanari a gentibus usque ad tempus quod solus Deus novit. Nam suo tempore proculdubio juxta morem priscum terra sancta spurcissimos evomet incolas; et forte per parciores manus Christianas, ut virtus divina in negotio clarius elucescat. Unde veraciter a quodam fidei bellatore dictum est, "<sup>1</sup>Facile est concludi multos in manus paucorum, et non est differentia in conspectu Dei liberare in multis aut in paucis." Quod utique declaratum est, cum unus persequeretur mille et duo fugarent decem milia; cum Gedeon amota multitudine per trescentos viros qui <sup>2</sup>aquas lambuerant, de innumerabilibus populis triumpharet. At non est tentandus Deus, ut Christiani pro eo quod Dominum bonum potentemque habent, petulanter et inconsulte contra multos adversarios pauci prosiliant. Ita enim suos vult Deus in se <sup>3</sup>confidere, ut tamen non negligant prudenter et provide agere. Unde scriptum est quod sancti

Richard I.  
Reflections  
on the af-  
fairs of the  
Holy Land.

<sup>1</sup> *Facile.*] Machabees iii. 18.  
Conf. 1 Sam. xiv. 6, and 2 Chron.  
xiv. 11.

<sup>2</sup> *Aquas.*] C.H.L.; aquam, R.  
<sup>3</sup> *Confidere.*] C. H. L.; cre-  
dere, R.



Richard I.  
Reflections  
on the af-  
fairs of the  
Holy Land.

olim duces prœliaturi prœlia Domini, et futuræ victoriæ, ipso hanc pollicente, non ignari, ipso plerumque jubente plerumque non jubente, convocaverint multitudinem, nec se cum paucis vel honestum vel utile duxerunt offerre discrimini; non utique ut Omnipotenti facilius esset per impetum multitudinis præstandæ victoriæ copia, sed quia illius saluberrimi præcepti, scilicet “<sup>1</sup> Non tentabis Dominum Deum tuum,” homo non debet esse negligens, et quia melius est ut multi quam pauci Deo militent, non plane ex suo numero Omnipotenti plus facultatis allaturi, sed pro suo numero ab Eo qui sibi nil minuit quantislibet distribuat, militiæ præmia percepturi. Sane paulo post exercitus Christiani a Syria digressum, stillavit Dominus super populum suum misericordiæ modicum, tanquam arram quandam gratiæ plenioris; virgam quippe furoris Domini “<sup>2</sup>et formidabilem Christiani nominis malleum confregit Saladinum. Qui nimirum cum in multa lætitia et securitate ageret, tanquam elusa omni fortitudine magnorum regum occidentis, repente incidit in manus Dei viventis: magnumque illud imperium, quod ex regnis opulentissimis homo non regii sanguinis sed “<sup>3</sup>astutiæ singularis arte simul et virtute conflaverat, cum ingenti rixarum bellorumque materia delicatis heredibus moriens dereliquit. Denique eo mortuo juxta numerum succedentium scissum est imperium ejus, ipsisque inter se dissidentibus facta est summa confusio in domo ejus. Christiani vero sub principe Henrico in suis urbibus quiete commorantes, expletionem induciarum præstolabantur.

<sup>1</sup> *Non.*] Deuteronomy vi. 16.  
Matt. iv. 7.

<sup>2</sup> *Et.*] C. H. L.; omitted R.

<sup>3</sup> *Astutiæ singularis arte simul.*  
C. H. L.; astutia, R.

## CAP. XXXI.

*Quomodo rex Anglorum naufragium passus, et captus  
est a duce Austriæ.*



**N**GITUR rex Anglorum a Syria digrediens, duabus reginis, sorore scilicet vidua et conjuge, cum omni fere familia præmissis, ipse cum paucis expeditioribus agiliori navigio sequebatur. Impatientior quippe tædii, dum lentum et morosum latissimi aspernaretur pelagi transitum, tutiorem gravioris navigii, et suo pondere minus timentis spiritus procellarum, evectionem recusavit, quod utique factum est illi in scandalum. Et quidem <sup>1</sup>reginæ cum omni comitatu suo, lento sed prospero cursu Siciliam venientes, ibidem sub rege Tancredo in tuto pro tempore substitere. Porro rex, navi qua vehebatur inclementioribus auris arrepta, tractus est ad partes Histriæ, atque inter Aquileiam et <sup>2</sup>Venetiam naufragium passus, ægre cum paucis æquoreum discrimen evasit. Ubi propriam pro tempore propter casus incertos inter ceteros naufragos celans personam, didicit regem Anglorum hominibus regionis illius ob necem Conradi marchionis, quæ ipsi imputabatur, esse invisum, nec posse ibidem tutum habere hospitium. Quamobrem imminens inani studuit illudere cautela periculum. Nam cito percrebruit insignem

Richard I.  
A. D. 1192.

King Richard sails  
from Syria.

Encounters a  
violent tempest, and is  
wrecked on  
the coast of  
Istria.

Loses many  
of his companions.

<sup>1</sup> *Reginæ.*] The two queens sailed from Acre on the 29th of September, and were followed on the 9th of October by the king. Diceto, 668.

<sup>2</sup> *Venetiam.*] C. H. L.; Navariam, R.



Richard I.  
A. D. 1192.

Is himself  
made pri-  
soner by the  
duke of Aus-  
tria.

naufragum latere vel oberrare in terra illa. Mox nobilibus simul et populo ad <sup>1</sup>vestigandum eum intentis, quidam comes <sup>2</sup>Mainardus nomine, ipso latenter per fugam elapso, octo de comitibus ejus comprehendit. Deinde in archiepiscopatu Salburgensi, loco qui vocatur <sup>3</sup>Frisarium, sex de comitibus ejus a quodam <sup>4</sup>Frederico detentis, cum tribus tantum comitibus noctu ad partes Austriæ properavit. Humboldus vero dux Austriæ, qui, ut supradictum est, stipendiarius ejus in exercitu Domini fuerat, profusam ejus circa se largitatem, cum egeret, expertus, oblitus beneficii <sup>5</sup>atque in ultionem cujusdam læsionis exiguæ sæviens, magis autem opum Anglicanarum homo avarus et perfidus sitiens, cautissimos per omnes viarum transitus et diverticula, ut insigni profugo evadendi locus non esset, custodes disposuit; quem tandem in suburbano quodam, indicio, ut dicitur, cujusdam ex comitibus ejus, dum escas lautiores emeret, caute notati, et ad prodendum cuinam peregrino talia procuraret intentata morte coacti, inventum, per immissos satellites captivavit. Denique <sup>6</sup>ingressi ad eum sollicite se occultantem directi a duce armati, "Ave," inquiunt, "rex Anglorum: frustra personam tuam pallias, facies tua manifestum te facit." Cumque vir ingentis animi gladium arriperet: "Noli," inquiunt, "rex, vel timere vel temere agere, non enim morieris sed potius

<sup>1</sup> *Vestigandum.*] H. L. R.; investigandum, C.

<sup>2</sup> *Mainardus.*] Maynard, governor of Goritz in Carinthia. He was related to Conrad marquis of Montferrat.

<sup>3</sup> *Frisarium.*] Freisach.

<sup>4</sup> *Frederico.*] Frederick of Beteson, also a relation of the

marquis.

<sup>5</sup> *Atque.*] H. L. R.; atque in regem, C.

<sup>6</sup> *Ingressi.*] The king was seized on Sunday, Dec. 20, at Erperg, near to Vienna, and consigned to the castle of Dürrenstein. Diceto, 668. Trivet, 148.

a morte servaberis in medio hostium tuorum, propinquorum scilicet Conradi marchionis, quærentium animam tuam: in quorum utique manus si forte, etiam centum vitas habens, incideres, ne una quidem earum salva tibi esse posset." Captus igitur rex nobilis a duce nequissimo anno <sup>1</sup>a partu virginis M. C. nonagesimo II. mense Decembri, citra decus regium in vinculis servabatur.

Richard I.  
A. D. 1193.

## CAP. XXXII.

*Quomodo rex Francorum, delusus a filio ducis Saxonie, speratis nuptiis caruit.*



ES mature defertur ad imperatorem Teutonicum, in Germaniæ tunc partibus constitutum. Qui nimirum vel imperialis vel etiam Christianæ negligens honestatis, et occasione captivi insignis <sup>2</sup>diripiendis plurimarum regionum opibus inhians, gavisus est valde. Moxque regem Francorum suæ lætitiæ fieri volens participem, gratissimum illi super aurum et topazion quinto kalendas Januarii <sup>3</sup>a Renhenza nuncium destinavit. Ille vero lætatus super infelicitate aliena, sicut qui invenit spolia multa, sinistrum principis eventum ad frangendos subditorum animos mox late vulgavit, animumque hostilem declarans, ut perpetua captivi esset dejectio modis omnibus agendum putavit. Denique magnis pollicitationibus sollicitare atque allicere sibi curavit Johannem,

28 Dec.

King Philip  
endeavours  
to take advantage of  
these events,

<sup>1</sup> A partu virginis.] C. H. L.; | rimendis, L.  
gratiæ, R.

<sup>2</sup> Diripiendis.] C. H. R.; di- | <sup>3</sup> A Renhenza.] H. L. R.; Ar-  
enbenza, C.



Richard I.  
A.D. 1193.

and proposes  
to marry the  
daughter of  
the count  
palatine of  
the Rhine.

captivi regis germanum, in Anglia, Hibernia, Normannia, multarum virium opumque virum. Quem profecto facile ad suas potuit partes traducere, jampridem quantum regni fraterni tantum et fraterni periculi cupidum. Accepto ergo idem in Anglia constitutus fraternæ captionis nuncio, illico transfretavit, et nutanti regno sperans se facile posse intrudi si Francorum sibi vires adjungeret, inito cum eis foedere, et fratris in periculo positi fidelitate exsufflata, ejus se hostem inverecundissime declaravit. Rex quoque Francorum imperatorem Teutonicum, ad cujus fortuna regis captivi pendebat arbitrium, affinitate sibi cupiens media devincire, consobrinæ ejus, unicæ scilicet filiæ palatini comitis, missis ad eum nunciis, connubium expetivit. Petitionem imperator gratanter amplexus, ejus complendæ gratia comitem palatinum, virum, ut dicitur, in imperio summæ post imperatorem amplitudinis, accersivit. Nec latuit ea res matrem puellæ. Quæ unicam sobolem secreto conveniens: "Vis," ait, "honorabiles nuptias et thorum regium? Rex enim Francorum te comparem postulat." Tum illa: "Audiivi," inquit, "a multis de rege hoc, quomodo foedaverit atque abjecerit puellam nobilissimam, germanam scilicet regis Dacorum, et vereor exemplum." Ad quam mater: "Et quis," ait, "in votis tuis est potior?" Tum illa: "Si mea," inquit, "vota prosperentur, ab eo certe cui me didici in annis infantiae desponsatam nunquam disjungar, Henrico scilicet ducis Saxonici filio." Et mater: "Confide," ait, "filia, quia per maternam operam formidato exempta exemplo, optato poteris connubio." Mox eundem Henricum elegantissimum et strenuissimum juvenem, regis Anglorum ex sorore nepotem, virago mirabilis secretis litteris accersivit. Qui festinus occurrit, et votis promp-

tissime concurrentibus dilectam virginem, tradente matre, accepit. Qua nimirum propter eventus ancipites accelerante negotium, illico ritu solemni celebratae sunt nuptiae, ut quos Deus jam conjunxisset homo de cetero separare non posset. Interea novae nuptiae pater ab imperatore inductus ut regiis filiam nuptiis honestaret, actae rei repente famam accepit. Imperator quoque rem audiens, credensque hoc praeter ejus conscientiam fieri minime potuisse, acri contra eum motu excanduit, et ad se vocatum mordaciter increpavit tum quia juvenem oderat tum quia factum erat aliter quam volebat. Ille vero stomachanti atque objurganti satisfaciens: "Per salutem," inquit, "tuam, imperator, mea hoc neque voluntate neque conscientia actum est; sed conjugem meam, consobrinam tuam, contemplatione juramenti olim a me et illa, felicitis memoriae patris tui imperio, duci Saxoniae praestiti, <sup>1</sup>in absentia mea credo patrasse, unde mihi tua celsitudo succenset." Tum imperator: "Vade," ait, "et, nebulone illo expulso, rescinde quod actum est." Et ille: "Noli," inquit, "sic loqui, imperator; nam eo usque, ut dicitur, res processit, ut absque sempiterno <sup>2</sup>unicæ filiae meae dedecore rescindi non possit." Reversus autem idem ad propria, genero blande locutus est, adoptansque eum in filium, filiam egregie dotavit. Sic ille qui propriam paulo ante cum dedecore repudiaverat conjugem, optatis speratisque, Dei judicio, caruit nuptiis.

Richard I.  
A. D. 1193.

---

<sup>1</sup> *In absentia mea.*] C. H. L.; | <sup>2</sup> *Unicæ.*] C. H. L.; omitted  
absente me, R. | R.



## CAP. XXXIII.

*Quomodo rex Anglorum per ducem Austriæ devenit  
in custodiam imperatoris.*

Richard I.  
A. D. 1193.  
The emperor  
of Germany  
claims pos-  
session of the  
royal cap-  
tive.



**N**GITUR illustris rex Anglorum a duce Austriæ, qui paulo ante illi in Syria contra Turcos militaverat, tenebatur in vinculis. Imperator autem allegans regem non <sup>1</sup>decere teneri a duce, nec esse indecens si ab imperatoria celsitudine decus regium teneretur, insignem ad se trahere curavit captivum. Et cum negari non posset, a duce resignatum, in propriam avarus imperator traduxit custodiam, pactus tamen duci competentem provenientis commodi portionem. Sic ergo Christianus imperator avaritia depravatus, memorato regi versus in Saladinum, novo atque inexpressibili nævo Romanum fœdavit imperium. A seculo enim non est auditum quod aliquis Christianorum vel regum vel imperatorum, quemlibet alium Christianum a sancta militia redeuntem, et per suos fines simpliciter transeuntem, captivaverit principem. Verum

—— “<sup>2</sup> Quid non mortalia pectora cogis  
Auri sacra fames?”

Imperator Romanus, proh pudor! præ commodi esurie ad omne honestum omne jus fasque oculos clausit—imperiale decus nescivit—alter esse Saladinus non erubuit. Princeps autem Christianus,

<sup>1</sup> *Decere.*] C. H. L. ; debere, | <sup>2</sup> *Quid.*] Virgil. *Æneid* iii.  
R. | 56.

qui tam procul a propriis contra Saladinum et Turcos Christo militaverat, ad propria pro tempore cum pio proposito remeans, et in argumentum opportuna in Orientem regressionis characterem adhuc dominicum portans, in Alemannia Turcos <sup>1</sup>incurrit peiores, <sup>2</sup>et tanto amariorem quanto et avariorem Saladinum. Qui nimirum avaritiam pallians, et quod foedissime faciebat adumbratae justitiae colore obducens, illustrem captivum concinnatis maculabat mendaciis, et gloriabatur voluntate Dei incidisse in manus suas plectendum severius hostem imperii, et Terrae Sanctae, in cujus medio Dominus salutem operatus est, proditorem. Denique circa Dominicam Palmarum solemniter sibi praesentatum, coram omni frequentia nobilium et populi, gravium objectu excessuum terrere tentavit. Ille vero hilari fretus conscientia, constanti et libera responsione ita objecta diluit, ut imperator quoque non solum ad misericordiam verum etiam ad reverentiam ejus flecti videretur. Multis enim praegaudio in lacrimas resolutis, inclinatum regem dignanter erexit, uberiores de cetero gratiam et profusiora solatia pollicens, re autem vera ingenti summae, mediante duce Austriae, ab ipso rege pro sua liberatione promissae, sitibunde inhians. Unde nec relaxandum duxit quem sic honorare voluit, nullum commodius judicans pignus promissionis quam corpus promissoris. Sane jam visitabatur a plurimis vinctus insignis, et toto detentionis suae tempore officiosissimam suorum experiebatur circa se caritatem. Venit autem ad eum Eliensis episcopus,

Richard I.  
A. D. 1193.

Richard is  
brought be-  
fore a diet  
of the em-  
pire, Mar.  
21.

<sup>1</sup> *Incurrit.*] C. H. L.; invenit, R.

<sup>2</sup> *Et tanto amariorem quanto et*

*avariorem Saladinum. Qui nimirum.*] C. H. L.; imperator quidem, R.



Richard I.  
A. D. 1193.  
Is visited in  
his confine-  
ment by the  
bishops of  
Ely and Sa-  
lisbury.

principalis ab eo, ut supradictum est, cum ad Orientem tenderet regni procurator relictus, sed a potentibus regni propter mores insolentissimos Anglia jampridem extrusus; et non discedebat ab eo, negotia quidem ejus strenue administrans, sed de suis expulsores regiis malum auribus insurrans. Venerabilis quoque Hubertus Salesburiensis episcopus, qui ejusdem regis in Syria comes individuus fuerat, cum applicuisset in Sicilia, cognito quod ei acciderat, <sup>1</sup>nam tanti principis casus indignissimus cito insonuit orbi terrarum, properavit ad eum: quem ille mox direxit in Angliam, tum pro necessaria regni cura tum etiam pro maturando suæ redemptionis negotio. Quippe alium non habebat unanimem, de cujus fide, prudentia et <sup>2</sup>sinceritate tam crebra in variis casibus experimenta sumpsisset.

## CAP. XXXIV.

*Quomodo rex Francorum invasit Normanniam, et quomodo Johannes turbavit Angliam.*

The king of  
France de-  
clares war  
against Ri-  
chard.



EBUS igitur ita se circa regem Anglorum habentibus, Philippus rex Francorum missis ad eum in Alemaniam a latere suo viris honoratis, <sup>3</sup>hominum quo sibi astrictus videbatur solemniter refutavit, bellumque vincto indicens, hostile propositum declaravit. Indecorum

<sup>1</sup> Nam tanti principis casus indignissimus cito insonuit orbi terrarum.] C. H. L.; omitted R.

<sup>2</sup> Sinceritate.] C. H. L.; fidelitate, R.

<sup>3</sup> Hominum.] C. H. L.; hominagium, R.



plane foedumque visum est omnibus homini vincto et sui penitus impoti bellum indicere, sed "malitia nocendi avida respectum honesti non habet." Displicere visa est imperatoriae majestati regiae personae tanta indignitas, eique ut a vincti rebus quiesceret, supplicandum putavit. Porro ille promissis ingentibus, et vel coaequantibus vel etiam excedentibus summam a <sup>1</sup> vincto promissam, imperatorem tentavit corrumpere, ut eundem sibi cautius custodiendum traderet, allegans mundum componi non posse si tantus turbator emergeret. Et imperatoris quidem animum minus solidum forte ad hoc pellicere potuit; sed potentes imperii vinctum ingenue miserantes, nefariae molitioni obstiteret. Ille vero, erumpente malitia, quiescere necius, congregato exercitu invasit Normanniam; moxque Gisortium, castellum nobile et munimentis abundans, cujusdam Gilleberti, cujus modicae fidei creditum fuerat, proditione recepit. Consequenter ad quaedam alia versus castella, neminem obsistentem invenit. Ita quippe indigna sors principis subditorum animos fregerat atque omnem in eis fiduciam enervarat, ut tanquam oves non habentes pastorem, vel sponte manus darent vel a facie fugerent insequentis. Cumque jam Albemariam, Augum, atque alia castella plurima in ejus matura deditione potestatem transissent, metropolim Normanniae Rothomagum cum exercitu adiit, atque ore terricrepo cunctis sibi <sup>2</sup> obstituris intentans <sup>3</sup> exitium, urbem resignari praecepit. At comes Leicestrensis, regis Anglorum comes in <sup>4</sup> Orientali

Richard I.  
A.D. 1193.

And invades  
Normandy.

Gains possession of  
many castles.

<sup>1</sup> *Vincto.*] C. H. L.; victo, R.

<sup>2</sup> *Obstituris.*] C. H. L.; res-titutis, R.

<sup>3</sup> *Exitium.*] C. H. L.; excidium, R.

<sup>4</sup> *Orientali expeditione.*] C. H. L.; oriente, R.



Richard I.  
A.D. 1193.

expeditione fidissimus, præcognito ejus adventu, paulo ante urbem ingressus, animos civium erexerat, atque ut contra hostem immanissimum viriliter agerent egregie roborarat. Ille vero urbe per dies aliquot frustra oppugnata, et jactura majori accepta quam illata, recessit, atque ad faciliora exercitum negotia revocans, munitiones nobiles Pasci et Iveri absque multa difficultate obtinuit. Tunc ad frenandum ejus pro tempore impetum, illi qui res vincti utcunque gerebant inducias ad tempus certum ingentis summæ pacatione redimendas duxerunt, et quatuor castella electa loco pignoris tradiderunt. Nec Johannes, ex regni ambitu hostis naturæ effectus, illis diebus a fratris infestatione quievit, regis Francorum in omnibus cooperator effulgens. Quippe illo in finibus Normanniæ debacchante, hic fretus munitionibus <sup>1</sup>regiis quas fratre in Oriente constituto dolose subtraxerat, catervis improborum undecunque contractis, Angliæ turbabat provincias, atque infinita in caput perfidum maledicta congerebat. Regni autem optimates fide integri animisque infracti collecta manu valida, vecordissimi juvenis nefariis se ausibus opposuerunt, et castellum Windsoram <sup>2</sup>quod in ejus ditionem inciderat, diu et fortiter oppugnantes, ad deditionem coegerunt. Nam cum Johannes videret suos quibus subvenire non poterat periclitari obsessos, pro eorum salute inducias ad tempus definitum petiit et castellum resignavit; quo facto <sup>3</sup>transfretans, ad regem Francorum se contulit.

<sup>1</sup> *Regiis.*] C. H. L.; omitted R.

<sup>2</sup> *Quod.*] H. R.; quæ, C. L.

<sup>3</sup> *Transfretans.*] H. L. R.; omitted C.

## CAP. XXXV.

*Quomodo Hubertus Salesbiriensis episcopus factus est archiepiscopus Cantuariensis, et de ecclesia contradictionis.*



ODEM tempore vinctus insignis salubri instinctu Cantuariensem ecclesiam vacare diutius noluit; nam venerabili Baldwino, qui, ut superius dictum est, sub caractere dominico in Orientem profectus Tyri decesserat, <sup>1</sup>nullus adhuc in ejusdem ecclesiæ sollicitudine pastorali successerat. Scripsit ergo rex de Alemannia episcopis ceterisque ad quos tantum spectabat negotium, ut primæ sedis pro tempore providentiam habentes, metropolitani electionem maturarent. Nec propriæ provisionis arbitrium tacuit, sed virum in quo sibi complacebat, utpote in multis probatum et præclare agnitum, electuris commendabat. Itaque Cantuarienses cum episcopis convenientes, approbata voluntate regia, Hubertum Salesbiriensem episcopum ad primæ sedis regimen concorditer et solemniter elegerunt. Qui nimirum, postulato atque accepto a Romano pontifice pallio, inthronizatus, mox sumpto apud Meretonam canonicæ professionis habitu, religiosæ mentis propositum cultu exteriori declaravit. Cantuariensibus sane, quos prædecessoris sui fervor paulo indiscretior exulcerarat, salvo defuncti honore, molestus non fuit. Nempe idem Cantuariensibus, ut

Richard I.  
A. D. 1193.  
Hubert, bishop of Salisbury,  
elected to the see of Canterbury.

<sup>1</sup> Nullus adhuc . . . successerat.] C. H. L. ; omitted R.



Richard I.  
A. D. 1193.  
Dispute be-  
tween the  
new arch-  
bishop and  
the monks of  
Canterbury.

dicitur, monachis plus justo infestus, proprium eligendi pontificem jus et prærogativam transferre ab eis voluit. Hujus rei gratia ecclesiam majoris ecclesiæ, in qua monachi ministrant, quasi æmulam Cantuariæ fabricare adorsus, præbendas quoque clericorum ibidem instituit, ubi, videlicet, defuncto Cantuariensi archiepiscopo, suffraganei convenirent, et simul cum ejusdem loci clericis de successoris electione deliberarent. Cantuarienses vero monachi in suæ dignitatis præjudicium hoc fieri non ferentes, ingentis controversiæ turbinem suscitarent, et priore proprio cum aliis pluribus emissio, sedem apostolicam interpellarunt. Et archiepiscopus quidem favore regio fortior, subactis et protrititis non sine bello et sanguine contradictoribus, urgebat opus; quod tamen postmodum adversariis per apostolicæ sedis judicium et fortia mandata invalescentibus, coactus est intermittere. Denique tam fœda contentio inter pastorem et oves proprias per annos aliquot cum multo scandalo tracta est, dum neutra pars cedendum putaret, et utraque palmam dare alteri ignominiosissimum judicaret. Quamobrem cum idem pontifex in hoc plane indiscretior, alias vero vir bonus, <sup>1</sup>prudens et religiosus, in Oriente tam procul ab ecclesia propria defecisset, Cantuarienses parcioribus eum lamentis plangentes, opus illud quod totius dissensionis seminarium fuerat jampridem intermissum, motu subito cum ingenti lætitia complanarunt.

---

<sup>1</sup> *Prudens.*] C. H. R.; et prudens, L.

<sup>1</sup>CAP. XXXVI.

*Quomodo Hugo Cestrensis episcopus destruxit monasterium Coventrense.*



MIRANDUM sane est tantum virum, Richard I. venerabilem dico Balduinum, qui ex archidiacono Cisterciensis ordinis monachus, moxque abbas, et ex abbate Wigorniensis episcopus, et ex suffraganeo metropolitanus, recipiens scilicet ab eo archiepiscopatum pro quo dimisit archidiaconatum: mirandum est, inquam, spectatæ religionis virum, illud genus, canonicos scilicet <sup>2</sup>seculares, propagare voluisse, cum salubrem impendere operam ut idem genus minus abundaret atque in genus religiosum transiret magis eum videatur decuisse; quod utique olim sancti pontifices et principes in Anglia fecisse noscuntur. Quippe in præclaris ecclesiis, Cantuariensi scilicet et Wintoniensi, seculares olim clerici ministrarunt: quibus nimirum religiosi illi, Dei nutu potestatem habentes, optionem dederunt ut vel beneficia atque officia, quibus indigni censebantur, relinquerent, vel in sacrae religionis propositum laudabili mutatione transirent. Quibus, dum salubriter cohererentur, vel cedentibus vel mutatis, decorem domus Dei usque in hodiernum diem religiosa melius collegia conservarunt. Religiosus ergo pontifex nostris temporibus illud genus propagare non debuit, cujus utique per salubrem conversio-

<sup>1</sup> Cap. XXXVI.] This chapter is wholly omitted from R. | <sup>2</sup> Seculares.] C. H.; regulares, L.



Richard I.

Hugh de  
Novant, bi-  
shop of  
Litchfield  
and Coven-  
try, ejects  
the monks  
from the mo-  
nastery of  
Coventry.

nem minuendi occasio potius, cooperante Christo, quærenda fuit. Verum Hugonis Nunantini Cestrensis sive Coventrensis episcopi flagrans adhuc maleficio longe præponderat, quod silentio prætereundum non est. Coventrense cœnobium a nobilibus olim Anglis pia devotione fundatum, ditatum, ornatum, per annos fere trescentos inter ecclesias Anglicanas enituit, et propter suam claritatem Cestrensis episcopi, ut et Coventrensis diceretur, multo tempore in multa pace sedes fuit. Hunc venerabilem locum cum quidam satelles diaboli, Robertus scilicet Marmiun, sub rege Stephano spoliatum profanasset, divinæ, ut suo loco dictum est, severitati subjacuit, atque idem locus ad suam, Deo auctore, claritatem mox rediens, usque ad præsentium faciem temporum quietus permansit. Quippe ante annos aliquot memoratus Hugo Nunantinus homo callidus, audax, inverecundus, et ad ausus improbos litteratura eloquentiaque instructus, cum forte occulto Ejus judicio “<sup>1</sup> Qui facit hypochritam regnare propter peccata populi,” Cestrensem fuisset episcopatum adeptus, modis omnibus moliri cœpit ut exclusis illius loci monachis, de rebus eorum suo distribuendas arbitrio præbendas faceret clericorum. Denique inter priorem et monachos discordias serens vel nutriens, cum in eadem ecclesia, astu nefario, pessimarum inquietudinum scandala suscitasset, occasione captata, manu armata expulit universos, tanquam manifestos atque incorrigibiles pacis ecclesiasticæ turbatores, reosque enormium criminum quibus infamabat. Mox ad sedem apostolicam instructos responsales direxit, monachos ec-

---

<sup>1</sup> Qui.] Job xxxiv. 30.



clesiæ Coventrensis deserta religiosa militia ad Richard I.  
seculum relapsos insinuans, atque ejusdem ecclesiæ pro arbitrio suo ordinandæ liberam postulans facultatem. Romanus vero pontifex sub cauta expectatione, si forte aliquis ex parte monachorum adveniens in contrarium allegaret, per menses sex sententiam suspendit: quibus expletis, cum nullus pro monachis adesset, petentis episcopi voluntatem implevit. Quippe ut monachi tardius advenirent sumptuum fecit inopia. Qui tamen vel sero advenientes, et violentæ expulsionis injuriam multo tempore deplorantes, prævalente episcopi vel potentia vel astutia sive pecunia, usque in hunc diem pro revocanda atque evacuanda semel per surreptionem elicitâ et præmature lata, frustra laborasse noscuntur sententia. Nondum enim ulla detestandi operis provenit correctio; sed monachis pro toleranda inopia late dispersis, bona eorum ab eodem episcopo in præbendas divisa seculares clerici, ipso auctore, possident. Et ipse quidem in tanti ausus vel patratione vel defensione cooperatore pro tempore usus est Eliensi episcopo, qui sub nomine cancellarii regii eo tempore quasi regnare videbatur, cum eidem in arrepta tyrannide consiliarius et coadjutor petulanti vanitate existeret. <sup>1</sup>Post modicum vero solita levitate ab ipso deficiens, adversario ejus Johanni regis fratri adhæsit, eumque, ut dicitur, ad rebellandum contra fratrem pestilentibus consiliis imbuit. Verum cum idem rex in Alemannia detentus visitaretur a suis, ipse quoque inter ceteros properavit ad eum, ut ejus circa se animum exploraret, seque dissimulatione callida ab infami, quæ illi inurebatur a

---

<sup>1</sup> *Post modicum.*] H. L.; postmodum, C.



Richard I.  
A. D. 1193.

plurimis, perfidiæ nota purgaret. Et cum principem adumbratæ devotionis præstigiis non posset deludere, desperata ejus gratia ad propriam sedem reverti minus sibi tutum esse arbitrans, cauteriata comitante conscientia, in Franciam concessit.

## CAP. XXXVII.

*De nece Leodicensis episcopi, cujus occasione pene periclitatus est rex Anglorum.*

Prospects of  
king Ri-  
chard's libe-  
ration.



ILLUSTRIS <sup>1</sup>igitur rex Anglorum Ricardus servabatur in Alemannia: sed, placata imperatoris avaritia, matura ejus liberatio sperabatur. Contigit autem incidenti casu vacillare spem istam, et insignem periclitari captivum hoc modo. <sup>2</sup>Ducis Luvannensis germano ad episcopatum Leodicensem electo, <sup>3</sup>imperator electio non placuit, verenti scilicet ne forte dux fortis facili occasione contra imperium junctis sibi fraternis intumesceret viribus. Leodicensis enim episcopus numerosam habere militiam et magnarum esse virium noscitur. Cumque idem electus, imperatore <sup>4</sup>obstante, a proprio consecrari metropolitano non posset, nihilominus, impetrato pontificis Romani mandato ad episcopos Franciæ ut ei manus imponerent, ordinatus est. Et metu quidem iratæ potestatis propriam sedem non adiit, sed motum ejus tempore lenitum iri sperans, in Francia pro

<sup>1</sup> Igitur.] H. L. R.; ergo, C.

<sup>2</sup> Ducis. Henry IV. duke of Brabant, and brother of the bishop of Liège.

<sup>3</sup> Imperatori electio.] C. H. L.; omitted R.

<sup>4</sup> Obstante.] C. H. L.; obsistente, R.

tempore <sup>1</sup>demoratus est. Indignatus autem imperator, in indignissimum scelus exarsit. Quippe ab eo, ut creditur, subornati quidam audaces, assumpta exsulum specie, eundem episcopum adiere, suamque apud eum de natali Alemanniæ solo expulsionem callide deplorantes, ita surripere incauto, ut miseratione vanissima hostes teterrimos in propriam ascisceret clientelam. Illi vero, patrandi facinoris opportunitatem astu pervigili observantes, quodam forte die spatiandi gratia cum paucissimis urbe egressum repente aggressi, cum uno clerico peremerunt, et, dum comites ejus in urbem refugerent, fuga elapsi evadere potuerunt. Ad ducis quoque memorati astu consimili necem patranda alii sicarii missi dicuntur, qui forte deprehensi, totius nequitiae mysterium revelarunt. Denique propter hoc tam grande piaculum, Coloniensis et Magonnensis archiepiscopi, duces quoque <sup>2</sup>Saxonicus, <sup>3</sup>Luvannensis, <sup>4</sup>Lemburgensis, aliique nobiles plurimi animis <sup>5</sup>efferati, contra imperatorem conspirarunt. Hujus autem necessitatis articulo imperator constrictus, ut sibi Francorum vires adjungeret, cogitavit, rupta fide, tradere in manus regis Francorum, <sup>6</sup>nunquam relaxandæ mancipandum custodiæ, regem Anglorum, et propter hoc illius ad diem certum apud <sup>7</sup>Vallem-Colorum solemne colloquium concupivit. Verum hoc malignissimæ molitionis colloquium alio saluberrimo præventum et dissipatum est. Viris enim

Richard I.  
A. D. 1193.

Murder of  
the bishop of  
Liège.

<sup>1</sup> *Demoratus.*] C. H. L.; moratus, R.

<sup>2</sup> *Saxonicus . . . . . nobiles.*] Omitted R.

<sup>3</sup> *Luvannensis.*] H. L.; Luvannensis, C.

<sup>4</sup> *Lemburgensis.*] H. L.; Len-

burgensis, C.

<sup>5</sup> *Efferati.*] C. H. L.; effrenati, R.

<sup>6</sup> *Nunquam . . . . . custodiæ.*] C. H. L.; omitted R.

<sup>7</sup> *Vallem-Colorum.*] Vaucouleurs.



Richard I.  
A. D. 1193.

June 28.

Richard is brought before a diet of the empire, and the price of his ransom is fixed upon.

sapientibus et turbationi imperii et periculo regis Anglorum laudabili provisione occurrentibus, inter imperatorem et optimates proprios concordia, Deo propitio, celebrata, universa quæ inter partes emergerat malignandi occasio expiravit. Post paucos autem dies imperator ad locum ubi rex Anglorum servabatur <sup>1</sup>veniens, præsentibus et mediantibus episcopis, ducibus atque aliis dignitatibus plurimis, per dies aliquot cum eo colloquium habuit, et tandem in vigilia beatorum Petri et Pauli apostolorum omni quæ inter eos vertebatur quæstione decisa, et summa redemptionis regiæ declarata, imperator regem de cetero honestius, id est, sine cathena, servari decrevit. Denique, jubente imperatore, episcopi et duces cum universa nobilitate quæ aderat juraverunt in animam imperatoris certam regis liberationem post satisfactionem ejusdem summæ, id est, centum milium librarum argenti: cujus pars tertia duci Austriæ, qui eundem regem captivaverat, competere dicebatur.

### CAP. XXXVIII.

*Quomodo afflicta sit Anglia per captivitatem regiam.*

Collections made throughout the kingdom for the king's ransom,



ODEM tempore rex Anglorum, diutinae detentionis oppido pertæsus, procuratores regni Anglici cunctosque fideles et devotos suos qui aliqujus momenti esse videbantur, frequentibus commonebat mandatis uti redemptionis

<sup>1</sup> *Veniens.*] H. L. R. ; adveniens, C.

suæ pretium modis omnibus præparantes, liberationem suam maturarent. Urgebant ergo negotium in cunctis Angliæ finibus executores regii, nulli parcentes; nec ulla erat distinctio clerici et laici, secularis et religiosi, urbani et rustici, sed omnes indifferenter, vel juxta vires substantiæ<sup>1</sup> suæ vel juxta reddituum quantitatem indictum, pro redemptione regia pecuniæ modum solvere cogebantur. Silebant et vacabant privilegia, prærogativæ,<sup>2</sup> immunitates ecclesiarum et monasteriorum; omnis dignitas sive libertas oppilabat os suum: nec alicui licebat dicere, ‘<sup>3</sup>Tantus vel talis sum; habete me excusatum.’ Cisterciensis quoque ordinis monachi, qui ab<sup>4</sup> omni exactione regia hactenus immunes extiterant, tanto magis tunc onerati sunt quanto minus antea publici oneris senserant. Quippe quod illis in substantia præcipuum esse noscitur, et quod fere pro omni redditu ad usus sumptusque necessarios habere videntur, lanam scilicet pecudum suarum, exacti coactique resignarunt. Putabatur quidem tanta pecuniarum coacervatio redemptionis regiæ summam excedere, quam tamen non attigit cum universæ particulæ Lundoniis convenissent ad summam, quod accidisse creditur per fraudem executorum. Denique propter hanc primæ collationis insufficientiam, ministri regii secundam tertiamque instaurant,<sup>5</sup> quosque locupletiores pecuniis spoliant, manifestum rapinarum dedecus<sup>6</sup> honesto redemptionis regiæ nomine palliant. Postremo, ut nulla vaca-

Richard I.  
A. D. 1193.

Difficulty of  
raising the  
required  
sum.

<sup>1</sup> *Suæ.*] C. H. L.; omitted R.

<sup>2</sup> *Immunitates.*] C. H. L.; omitted R.

<sup>3</sup> *Tantus vel.*] C. H. L.; omitted R.

<sup>4</sup> *Omni.*] C. H. L.; omitted R.

<sup>5</sup> *Quosque.*] H. L. R.; tum quosque, C.

<sup>6</sup> *Honesto.*] H. R.; honeste, C. L.



Richard I.  
A.D. 1193.

ret occasio, et residuum erucae locusta, residuum locustae bruchus, ejusque residuum rubigo absumeret, ad vasa sacra ventum est. Et quoniam ea in redemptionem quorumlibet fidelium captivorum expendi non tantum concessit verum etiam monuit veneranda patrum discretio, multo fortius eadem captivati principis redemptioni debere proficere judicatum est. Itaque per omnem regni Anglici latitudinem traduntur sacri calices exactoribus regiis, vel indulgenter, id est paulo infra pondus,<sup>1</sup> redimuntur. Cumque jam fere exinanita<sup>2</sup> pecuniis Anglia videretur, et lassatis executoribus regiis, exquirendi quoque pecunias occasiones languescerent, tota tamen illa opum coacervatio, ut dicitur, ad complendam regiae redemptionis atque expensarum ejus summam minus sufficere potuit. Quamobrem praetaxatae summae parte majori ministris imperatoris appensa, rex consulte, ne sua supra modum protraheretur relaxatio, pro parte reliqua imperatori per obsides idoneos satisfecit.

<sup>1</sup> *Redimuntur.*] Trivet informs us that the king, after his return to England, hearing that many country churches were without chalices and other vessels, they having been melted down for his ransom, gave directions that a

large number should be manufactured and distributed without delay to the churches which stood in need of them. Nic. Trivet, p. 154.

<sup>2</sup> *Pecuniis.*] C. H. R.; pecuniæ, L.

## CAP. XXXIX.

*De prodigio ruboris insoliti, ter in aere diversis  
temporibus apparentis.*



A tempestate per occasionem captionis regiae, Anglia sub multiplici, et quantā prius nec vereri poterat, attritione gemebat; cujus mali atrocitas recentibus, ut creditur, e cœlo prodigiis claruit. Denique illius anni quo idem rex in manus hostium incidit, mense Januario, signum in cœlo terribile vidimus, venturæ procul dubio afflictionis nostræ præ sagum. Nam circa primam noctis vigiliam media inter boream et subsolanum cœli plaga ita rubuit ut quasi ardere videretur, cum nec levi obduceretur nubecula, sed sidera clare micarent: eodem tamen rubore igneo et quasi albentibus lineis interciso ita infecta ut luce quadam sanguinea rutilarent. Cumque hæc horribilis species per cunctos Angliæ fines duarum fere horarum spatio oculos animosque cum stupore intuentium tenuisset intentos, tandem paulatim evanescens, multa sui quæstione relicta, disparuit. Anni vero sequentis mense Febuario, cum jam rex Anglorum in Alemannia teneretur, detentionis ejus nondum in Anglia rumore vulgato, simillimum plaga cœli non mutata per universam Angliam signum emicuit, post mediam noctem, cum viri religiosi consuetis Domino laudibus concreparent; quos nimirum in diversis provinciis exhorrendi ruboris repercussione per fenestras vitreas ita territos novimus, ut plurimi casum incendii in ædificiis

Richard I.  
A. D. 1192,  
January.

An aurora  
borealis is  
taken as a  
sign of cala-  
mity im-  
pending over  
the country.

A. D. 1193.  
February.



Richard I.  
A. D. 1193.

2 November

<sup>1</sup>proximis accidisse putantes, relictâ psalmodia exilirent, et, notato signo horribili, stupidi psalmodiæ se redderent. Cumque iterati signi non parva esset quæstio, subito captionis regiæ fama percrebruit. Eodem sane anno cum jam morosa esset in Alemannia regis detentio, et speraretur matura ejus liberatio, quarto nonas Novembris, ante crepusculum matutinum idem ipsum signum in eadem cœli plaga tertio apparens, minus quidem jam illi assuetos intuentium animos terruit, sed quæstionem suspicionemque auxit portenti.

### CAP. XL.

*Quomodo rex Francorum, cum non posset impedire liberationem regis Anglorum, iterum invasit Normanniam.*

Conditions of  
the king's re-  
lease.



CUM igitur illustris rex Anglorum Ricardus, redemptionis suæ majori parte, ut dictum est, avaro imperatori appensa, pro reliqua ex nobilibus qui ad eum <sup>2</sup>visitandum accesserant exactum obsidum numerum <sup>3</sup>tradidisset, tandem post diutinam detentionem certus dies relaxationis ejus solemniter designatus et <sup>4</sup>præfixus est. Quod

<sup>1</sup> *Proximis.*] H. R.; plurimis, L.; omitted C.

<sup>2</sup> *Visitandum.*] C. H. L.; omitted R.

<sup>3</sup> *Tradidisset.*] Amongst these hostages were the archbishop of Rouen and the bishop of Ely. Hemingburgh, i. 200.

<sup>4</sup> *Præfixus est.*] The time of the king's liberation was fixed

for the third week after Christmas. The emperor affected to be much pleased with the various arrangements, and granted to the king in fief certain provinces, viz. the Viennois, a part of Burgundy, and the territories of Lyons, Arles, Marseilles, and Narbonne. Hoveden, to whom we are indebted for this infor-

ubi innotuit regi Francorum atque hosti naturæ Johanni, desperantes se jam non posse ad perpetuandam insignis captivi detentionem, animum imperatoris corrumpere modis omnibus nisi sunt eam saltem in annum sequentem protelare, scilicet ut hoc spatio terras ditionis <sup>1</sup>ejus, nullo obsistente, libere occuparent, quo facto inanis foret ejus post annum regressus. Cum ergo pro hac re imperatori per nuncios supplicarent, et non imparem acceptæ a rege Anglorum pecuniæ summam <sup>2</sup>promitterent, ille supra modum corruptibilis proprios super hoc optimates consuluit. Qui nimirum imperatoriæ levitati succensentes, honestioris consilii pondere obstiterunt, dicentes: "Sufficit, domine imperator, hucusque foedatum esse indigna nobilissimi regis captione imperium, nec inexpiabilem imperiali maculam generes honestati." Itaque infecto foedissimæ molitionis negotio, nuncii redeuntes dominos suos animis saucios reddiderunt. Erat autem hiems, et tempus bello prorsus inhabile, nec tamen erga regem captivum flagrantis

Richard I.  
A. D. 1193.

mation, adds, however, that the reader should be aware that the emperor was never at any time able to exercise his authority over the lands in question, the inhabitants being unwilling to recognise any ruler which he might name. Hoveden. Annal. Rer. Ang. Script. p. 732.

<sup>1</sup> *Ejus.*] C. H. L.; suæ, R.

<sup>2</sup> *Promitterent.*] Hoveden tells us that the king of France and prince John offered to the emperor eighty thousand marks of silver if he would detain Richard in captivity until the following September, fifty thousand to be paid by the French king and

thirty thousand by John; or, should he prefer it, one thousand pounds of silver for every further month of Richard's imprisonment; or if he would deliver the king over into their hands, or detain him prisoner for the space of a whole year, they promised to reward him with the sum of one hundred and fifty thousand marks; one hundred thousand from the king, and fifty thousand from prince John. (Behold, says the historian, how they loved him!) Hoveden, Annal. Rer. Ang. Script. 733.



Richard I.  
A. D. 1193.  
The king of  
France and  
prince John  
invade Nor-  
mandy.

poterant malitiæ studia defervere. Denique rex Francorum, Johanne <sup>1</sup>cooperatore, ruptis concinnata occasione induciis, quarum respectu modicum quievisse videbatur, iterum invasit Normanniam, et ferocissimorum olim indigenarum languentibus animis eo quod non haberent ducem nec præceptorem <sup>2</sup>nec principem, civitatem Ebroicensem cum castellis plurimis minimo et incruento fere negotio occupavit. Verum post multam debacchationem quasi lassatus, suspensa ad tempus, revocatis induciis, feritate quievit. Sane nec in Anglia illis diebus pax fida vel tuta erat, cum et munitiones Johannis, gentem peccatricem et prædarum avidam continentes, provinciarum quietem turbarent, et provinciales, accepto ex Alemannia regis mandato, earundem munitionum oppugnationem atque obsidionem pararent. Sane inter Eboracensem archiepiscopum et clerum proprium fœda illis diebus contentio vertebatur, nata quidem ex levi causa, tanquam ex scintillula rogi ingens. Cujus initium, progressum atque exitum <sup>3</sup>contextum exponere commodior locus erit.

---

<sup>1</sup> *Cooperatore.*] C. H. L.; co- | omitted R.  
operante, R.

<sup>2</sup> *Nec principem.*] C. H. L.; | <sup>3</sup> *Contextum.*] C. L.; con-  
textim, H.; omitted R.

## CAP. XLI.

*Quomodo rex Anglorum de captivitate relaxatus  
applicuit in Angliam.*



**N**GITUR rex Anglorum post Aleman-  
nicæ detentionis tædium, quod jam  
annum excesserat, mense tandem Ja-  
nuario solemniter relaxatus est, re-  
lictisque apud imperatorem loco ob-  
sidam Rothomagensi archiepiscopo, Batoniensi  
episcopo, et nobilibus plurimis, sive pro exple-  
tione summæ nondum persolutæ sive etiam pro  
quorundam fide pactorum, portum qui Swina di-  
citur adiit, inde in regnum proprium, Deo propitio,  
transiturus. Verum cum ibidem diuscule demorari  
cogeretur, sive necessarij apparatus gratia sive  
etiam propter flatus adversos, indultæ ei gratiæ,  
ut dicitur, imperatorem pœnituit, et relaxatum ad  
perpetuam revocare custodiam cogitavit. <sup>1</sup> Nam  
sicut olim Pharaon et Ægyptii, quos Deus indura-  
verat, pœnitentia ducti quod populum Dei, quem  
servitute oppresserant, tandem vel coacti dimisis-  
sent, dixerunt: “<sup>2</sup> Quid volumus facere ut dimitte-  
remus Israel ne serviret nobis?” ita etiam perfidus  
ille imperator et Alemanni, cum regem Christi-  
anum, quem sola turpis lucra gratia diutina custo-  
dia coartarant, sera tandem clementia relaxassent:  
“ Quid,” inquiunt, “ fecimus, emittentes ad orbis

A. D. 1194,  
January.

King Ri-  
chard is set  
at liberty.

<sup>1</sup> Nam sicut olim . . . non relaxandus in secula.] C. H. L.; missisque satellitibus suis ut comprehenderent principem, | “ Revocetur,” inquit, “ ad vin- cula non relaxanda in secula,” R.

<sup>2</sup> Quid.] Exodus xiv. 5.



Richard I.  
A.D. 1194.

periculum tremendi roboris et sævitiae singularis tyrannum? Et quidem olim, elementis tradentibus, datus in manus nostras, eisdem etiam nunc adversantibus, reditumque ad propria negantibus, ejusdem procul dubio sortis discrimen expectat. Ergo velociter revocetur ad vincula, non relaxandus in secula." Non latuit nequissimæ molitionis susurrium quendam ejusdem forte regis benivolum; qui <sup>1</sup>tantæ malignitatis mysterium nihil tale suspicanti festino significans nuncio, cautum eum reddidit, et ut se confestim navigio in portum daret, <sup>2</sup>seque potius elementis quam infidis hominibus crederet, amica sollicitudine monuit. Quod et factum est tam celeri quam et salubri cautela. Mox imperatorii, ut dicitur, apparitores affluere, atque impotentes nobilem prædam, in arido non inventam, per liquidum persequi, cum suæ frustrationis excusatione congrua ad præceptorem perfidum rediere. Qui sera sibi poenitudine imputans irregressibilis captivi elapsam, præcipitem motum in innoxios obsides transtulit, ac prius apud se indulgentius liberiusque habitos <sup>3</sup>arctiori custodia castigavit. Porro regem Anglorum, a facie hostilium satellitum refugientem in pelagus, secundi flatus excipientes, et quasi satisfaciētes pro eo quod illum anno præterito Alemannicæ immanitati prodiderant, salvum atque incolumem cum omni comitatu regno proprio reddiderunt. Applicans ergo apud <sup>4</sup>porticum Santwicum <sup>5</sup>mense

He lands at  
Sandwich.

March.

<sup>1</sup> *Tantæ.*] C. H. L.; omitted R.

<sup>2</sup> *Seque . . . crederet.*] C. H. L.; omitted R.

<sup>3</sup> *Arctiori.*] C. H. L.; acriori, R.

<sup>4</sup> *Porticum.*] Sic MSS. ? for portum.

<sup>5</sup> *Mense Martio.*] On the 13th of March. Trivet. 152. Wendover, iii. 80.

Martio, tempore Quadragesimalis jejunii, tunc primum captivitate liberatum se credidit cum, navi egrediens, Anglicum solum calcavit.

Richard I.  
A.D. 1194.

## CAP. XLII.

*Quomodo rex, pacificato regno, Wintoniæ coronatus est.*



QU expectatum et jam fere desperatum principis regressum Euro velocior fama vulgavit. Mox a provincialibus congratulatorio exceptus occurso, venit Lundonias; quæ nimirum, adventu ejus præcognito, sumpserunt oleum gaudii pro luctu, et pallium laudis pro spiritu mœroris. Denique ad ingressum principis ita ornata est facies amplissimæ civitatis ut Alemanni nobiles qui cum ipso venerant, et redemptione regia exinanitam bonis Angliam credebant, conspecta opum magnitudine obstupescerent. Quorum unus in ipsa pompa solemni, <sup>1</sup>ut dicitur, conversus ad principem: “<sup>2</sup>Mira,” inquit, “prudentia, o rex, callet gens tua, quæ te sibi nunc reddito opum suarum claritatem secure ostentat, paulo ante paupertatis deploratrix dum nostri te imperatoris custodia detineret. Revera <sup>3</sup>enim si has opes Anglicas <sup>4</sup>ille præscire potuisset, Angliam non facile posse exhauriri opibus credidisset, nec te nisi sub intoleranda redemptionis summa dimittendum duxisset.” Sane regresso regi optimatum et procerum regni

Festivities  
on his re-  
turn.

<sup>1</sup> *Ut dicitur.*] C.H.L.; omitted R.

<sup>2</sup> *Mira . . . detineret.*] C.H.L.; dixit, R.

<sup>3</sup> *Enim.*] C.H.L.; omitted R.

<sup>4</sup> *Ille præscire potuisset.*] C.H.L.; imperator præsciret, R.



Richard I.  
A.D. 1194  
By the king's  
orders the  
fortresses in  
the posses-  
sion of  
prince John  
are taken  
possession  
of.

admodum pauci occurrerant, quia fere omnes de mandato regio circa oppugnandas munitiones Johannis justa necessitate occupati erant. Et quidem ante principis ad propria reditum, munitionem de Merleberle fortiter oppugnatam morosa difficilique opera ceperant, tunc vero Notingham et Tikehil castella munitissima diverso exercitu obsidebant. Rex autem post recens captivitatis tædium, pausam et delicias aspernatus, mora exigua Lundoniis facta, Notingham festinus contendit. Est autem idem castellum natura et manu ita munitum, ut sola inedia, si defensores idoneos habeat, expugnabile videatur. Porro adversus hoc malum provisione sagaci habebat in annos plurimos reposita ciborum subsidia, armorum quoque et virorum fortium copiam. Verum cum rex, qui a malivolis nunquam rediturus putabatur, repentinus adesset, ita illorum qui in munitione erant <sup>1</sup>ejus inopinata præsentia perstricti <sup>2</sup>et quasi fascinati sunt animi, ut sicut fluit cera a facie ignis sic eorum omnis fiducia a facie quasi gigantis subito apparentis liquesceret, statimque de castris inexpugnabilis, et nulla re necessaria ad tolerandam obsidionem diutinam indigentis, deditione enerves et languidi pertractarent. Cumque apud ferocissimum principem honestam non possent invenire gratiam, pudendis conditionibus munitionem cum omni armatura, suppellectili atque subsidio resignantes, sua quoque corpora pro declinanda severitate judicii incertæ atque inexpressæ misericordiæ tradiderunt. Qui autem in alia munitione erant, quæ disparis esse firmitatis noscitur, paulo excusabilius in idem periculum et dedecus inciderunt.

<sup>1</sup> *Ejus.*] C. H. L.; illius, R. | <sup>2</sup> *Et quasi fascinati.*] C. H. L.; omitted R.

Itaque rex levi negotio firmissimas munitiones obtinuit, eisque qui se dediderant sub spe clementiæ custodiæ mancipatis, Johanni fratri suo, cui per immoderatam atque indiscretam largitatem cornua contra se dederat, ob enormem culpam ingratiitudinis atque perfidiæ omne jus pristinum solemni judicio procerum abjudicavit. Sic ergo tanti turbatoris, qui paulo ante regni Anglici tetrarcha esse videbatur, abrasa potentia, omnis in Anglia, motus <sup>1</sup>hostilis conquievit. Hiis, Deo propitio, feliciter gestis, rex ad superiora remeans, solemnitatem Paschalem <sup>2</sup>Hamtonæ in multa lætitia cum optimatum suorum frequentia celebravit; atque in octavis Paschæ Wintoniæ regni diadema fulgidus, deteresa captivitatis ignominia, quasi rex novus apparuit. <sup>3</sup>Et hujus quidem libri iste sit modus, qui, quartus in nostro opere, sumpsit exordium in illustrissimi regis Ricardi coronatione prima, et, explicitis recentis memoriæ casibus, incisionis pausam nunc postulat in ejusdem regis coronatione secunda, anno regni sui quinto, a partu autem virginis, M. CXCIV.

Richard I.  
A.D. 1194.

John is deprived of his power.

The king holds his court at Hampton.

Is recrowned at Winchester, 17 April.

#### EXPLICIT LIBER QUARTUS.

<sup>1</sup> *Hostilis.*] C. H. R.; hominis, L.

<sup>2</sup> *Hamtonæ.*] H. L. R.; Hamtoniæ, C.

<sup>3</sup> *Et hujus, etc.*] From this point to the termination of Lib. iv. is omitted in R., with the exception of the concluding rubric.



# WILLELMI DE NOVOBURGO

## HISTORIA ANGLICANA.

### <sup>1</sup>INCIPIT LIBER QUINTUS.

#### CAP. I.

*Quæ acta sunt a rege in Anglia post coronationem suam antequam transfretaret.*

Richard I.  
A. D. 1194.



King Richard resumes the crown lands which he had alienated at the commencement of his reign.

EX igitur post <sup>2</sup>coronationis suæ solemnia tempore modico in Anglia demoratus, rerum statum, tanquam tunc primum rex factus, de novo curavit disponere; et fere quicquid illi placuisse videbatur in sui novitate prima, mutandum atque innovandum duxit in secunda. Denique regnum, quod iter Orientale arrepturus, ut suo loco plenius dictum est, multifariam sciderat, ad integritatem satagens pristinam reformare, quicquid ab illo tunc fuerat vel leviter datum vel ponderose venundatum, sub nomine repetiit commodati. Nec cuiquam fas erat ratione cujuslibet vel pacti vel tituli vel instrumenti perfunctorium jus

<sup>1</sup> *Incipit, etc.*] C. L. R. These words form the commencement of the new section in C.; Expliciunt Capitula. Incipit liber

quintus, H.

<sup>2</sup> *Coronationis suæ solemnia.*] C. H. L.; coronationem suam, R.

tueri, dum omnes magnitudinis regiae mole premerentur, nec quisquam auderet ei dicere: "Nolo multa fortitudine contendas mecum, nec magnitudinis tuæ mole me premas." Astu tamen mollius loquebatur, regiarum dicens possessionum emptoribus: "Non decet vos sublimitati regiae fœnerari: si ergo sortem vestram de fructibus rerum nostrarum jam percepistis, ea contenti esse debetis; si quo minus, supplebo de proprio, omnem amputans occasionem retentionis. Novit enim prudentia vestra rescriptum sedis apostolicæ quo prohibeamini regi proprio sortem vestram excedendo fœnerari, <sup>1</sup>mihi, suo tempore, si forte necesse sit, minime defuturum." Denique illi <sup>2</sup>regio imminente metu attoniti, et tunc demum artem intuentes quae eos in sumptus Jerosolymitanæ profectionis nudarat pecuniis, nec levi quidem quæstione habita de sorte minus percepta, universa resignarunt. Nam nec Dunelmensis episcopus, qui comitatum Scottorum finibus proximum gravi summa comparatum per aliquot jam annos possederat, in hac parte præ ceteris privilegium habuit, sed comes esse desinens, in simplicem episcopum rediit; sicque illi tanta opera et tanta pecunia periit, quæ utique illi non perisset si piis aptata usibus in coelestes thesauros abisset. Qui nimirum animum principis minus sibi arridentis ex vultus mutatione conjectans, non expectata repetitione comitatum resignavit, nec tamen, ut dicitur, commodis amplioribus insatiabiliter inhiantem satis placavit. Præterea rex sive pro liberandis obsidibus apud imperatorem relictis, sive etiam in

Richard I.  
A. D. 1194.

The bishop of  
Durham is  
deprived of  
the earldom  
of Northum-  
berland.

<sup>1</sup> *Mihi.*] H. L. R.; in, C. | R.; regiae imminentiæ metu,  
<sup>2</sup> *Regio imminente metu.*] L. | C. H.



Richard I.  
A. D. 1194.  
A land tax  
imposed.

sumptus belli cum rege Francorum gerendi, <sup>1</sup>tributum minus usitatum universo regno indixit, a singulis scilicet carucatis terræ indifferenter geminatum solidum exigens, vacantibus clericorum, religiosorum et quorumlibet aliorum privilegiis. Præsentibus quoque ad congratulandum illi quibusdam majoribus Cisterciensis ordinis abbatibus: "Devotionem," inquit, "vestram et liberalitatem circa nos, qua potissimum substantiæ vestræ, id est, vellera ovium vestrarum, redemptioni nostræ impendistis, ut dignum est, approbamus, et uberiores suo tempore, si vita comes fuerit, rependere gratiam pro gratia <sup>2</sup>ista cogitamus. Ut autem vobis <sup>3</sup>perpetuæ simus gratiæ debitores, oportet ut adhuc semel vestrum ad nos declarantes affectum, lanam vestram anni præsentis nobis non gravemini commodare. Nam cum <sup>4</sup>ab imperatore dimissi in multa paupertate ad propria tenderemus, confisi de vobis, urgentissima necessitate, a transmarinis mercatoribus in usus necessarios ejusdem lanæ vestræ pretium sumpsimus, quod procul dubio ad scaccarium nostrum mensis Octobris probatæ charitati vestræ cum gratiarum actione reddemus." Hoc modo religiosos illos quasi blandiendo spolians, clarissimis monasteriis egestatem insolitam irrogavit. Rebus igitur in Anglia dispositis, et viro industrio, Cantuariensi scilicet archiepiscopo, principali procuratore regni constituto, exercitu quoque Anglico qui cum eo transfretaret ordinato, descendit ad mare. Ubi accepto de transmarinis partibus nuncio quod Francorum copiæ

Hubert arch-  
bishop of  
Canterbury  
appointed  
justiciary of  
the kingdom.

Richard em-  
barks for  
Normandy.

<sup>1</sup> *Tributum.*] Hoveden (p. 737) informs us that this was the tax styled by the ancients "te-mantale."

<sup>2</sup> *Ista.*] H. L. R.; omitted C.

<sup>3</sup> *Perpetuæ.*] C. H. L.; perpetuo, R.

<sup>4</sup> *Ab.*] C. H. R.; omitted L.

irruptionem in Normanniam meditantes convenissent, cum gravi tædio transfretandi opportunitatem expectans, sæpiusque elementa incusans, tandem, auris ad votum spirantibus, transfretavit, susceptusque a suis cum gratulationibus, sua præsentia post longum torporem ad præclaram fiduciam animos eorum erexit.

Richard I.  
A. D. 1194.

## CAP. II.

*Quæ acta sunt inter regem Anglorum et inimicos ejus postquam transfretavit.*



NTEREA rex Francorum <sup>1</sup>Vernullium oppidum munitissimum, quod olim pater ejus incassum obsederat, cum infinitis copiis paternæ in hac parte sortis heres futurus obsedit. Rex autem Anglorum opportune suis in Normannia reditus, contracto paulatim exercitu, non longe a <sup>2</sup>Vernullio, apud castellum quod dicitur Aquila castra posuit. Cumque per dies aliquot ibidem consedisset, Francorum exercitus conserendi cum eo prælii discrimen declinans, postquam in opugnatione oppidi multo cassoque labore sudaverat, soluta obsidione recessit. Porro rex eorum, tanquam ad detergendum pudendæ recessionis dedecus, urbem Ebroicensem, quam prius spoliarat, pervicaci furore evertit; nec celeberrimæ in illis regionibus ecclesiæ beati Taurini pepercit: cum enim eandem incendi jussisset, et nullus ex

The king of  
France be-  
siegues Ver-  
neuil,

and over-  
throws the  
city of  
Evreux.

<sup>1</sup> Vernullium.] C. H. L.; Ver-  
nullum, R.

<sup>2</sup> Vernullio.] C. H. L.; Ver-  
nullo, R.



Richard I.  
A. D. 1194.

Richard re-  
covers the  
castle of  
Luches.

Disturbances  
in Aquitaine.

tanto exercitu, divini timoris intuitu, nefariæ jussionis executor existeret, ipse, ut dicitur, cum quibusdam <sup>1</sup>perditis ex illo hominum genere quos <sup>2</sup>ribaldos vocant, ingressus sacris ædibus ignem immisit. Denique, ut fertur, quod ex eadem ecclesia sublatum est, Carnotensi civitati illatum, eidem clarissimæ civitati quasi ignis fuit: quæ nimirum consequenter pene usque ad consumptionem fuit in combustionem et cibus ignis. Bellum igitur inter duos reges magnos, alternantibus circa partes, ut assolet, dextris sinistrisque casibus, gerebatur. Verum regis Anglorum, quem paulo ante et thesauris dura spoliarat captivitas et, occasione captivitatis, integritate finium suorum hostilis mutilarat immanitas, feliciores post tantam circa eum fortunæ malitiam successus fuere. Quippe in hoc bello nec unius passum pedis de terra possessionis suæ perdidit, et de munitionibus quæ illi perierant castellum nobile quod Luches dicitur cum quibusdam aliis bellica sorte recepit. Hostium quoque fines ingressus, nonnullis fortiter et prospere gestis, <sup>3</sup>Vindocinum veniens, ibidem per dies aliquot exercitum recreavit. Rex autem Francorum, cum eum hinc abîsse putaret, non longe a Vindocino castra locavit; sed hostis vicinitate comperta, de nocte recessit. Mane facto rex Anglorum abeuntem exercitum persecutus, regis fugientis plaustra et clitellas cum quibusdam arcanis et gaza multiplici variaque suppellectili comprehendit. Sane ipso tempore infestabatur etiam <sup>4</sup>a quibusdam nequissimis de-

<sup>1</sup> *Perditis.*] H. L. R.; perfidis, C.

<sup>2</sup> *Ribaldos.*] C. H. L.; Tibaldos, R.

<sup>3</sup> *Vindocinum.*] Vendôme.

<sup>4</sup> *A quibusdam.*] C. H. L.; omitted R.

sertoribus in Aquitania, Geofrido scilicet Ranconensi et comite Engolesmensi viris præpotentibus, et Francorum, a quibus in eum instigati erant, fiducia multum ferocibus. Sed filius regis Navarorum, germanus Berengeriæ reginæ Anglorum, cum exercitu Aquitaniam ingressus, terra utriusque desertoris vastata, cum forte <sup>1</sup>paterni decessus nuncium accepisset successionis gratia ad propria remeavit. Cumque post modicum fatalis memoratum Ranconensem necessitas sustulisset, rex Anglorum cum exercitu superveniens famosissimum castrum ejus quod dicitur Tailleburch matura deditio obtinuit, moxque impetum in alium desertorem convertens, civitatem Engolismam cruenta celeritate expugnavit; rege nimirum Francorum dum hæc fierent mollius agente, quem scilicet spe induciarum, de quibus inter eos jam tractabatur, astute suspenderat.

Richard I.  
A. D. 1194.

## CAP. III.

*De induciis inter reges statutis, et pace provinciarum præterquam <sup>2</sup>ab exactionibus regiis.*



ANNO a partu virginis M. C. nonagesimo quarto, circa <sup>3</sup>festivitatem principis apostolorum quæ dicitur ad Vincula, post multam conflictationem et casus varios, mediantibus <sup>4</sup>honoratis induciæ quas treugas vocant inter

Aug. 1st.  
A truce is concluded between the French and English kings for one year.

<sup>1</sup> *Paterni decessus.*] Sancho VI. king of Navarre, died June 27, 1194.

<sup>2</sup> *Ab.*] C. H. R.; omitted L.

<sup>3</sup> *Festivitatem.*] C. H. L.; festum, R.

<sup>4</sup> *Honoratis.*] C. H. L.; viris honoratis, R.



Richard I.  
A.D. 1194.

Review of  
the conduct  
of the Eng-  
lish and  
French kings  
towards ec-  
clesiastics.

reges sancitæ sunt in annum: regi quidem Anglorum per captivitatem multum attenuato ad reparationem virium admodum utiles, licet, ut quibusdam videbatur, parum honestæ, cum intra fines jam breviores Normanniam possideret; sed præponderavit ratio utilitatis, et rebus cum aliquantula etiam honestatis jactura oportuit consuli. Quo facto, modicam laborantes provinciæ pausam recepere. Verum in illa interpolatione malorum, exquirendarum ambitu pecuniarum vehementius excanduit in subditos avaritia principum, dum cogitarent cogitationes magis belli quam pacis, et ad futuros se motus modis omnibus præpararent. Denique in hac re nulla vacavit occasio, et ubi forte occasio vel imaginaria defuit, mera tamen per exactores regios ad extorquendum violentia non quievit; illis maxime onera insolita frustra causantibus qui de superiorum religiosa indulgentia principum ab omni exactione seculari immunes et liberi esse solebant, viri scilicet religiosi. Et memoratorum quidem regum Christianissimi patres præcipui religiosorum patroni et protectores fuisse noscuntur; filios vero minus in hac parte patrissare dolemus. Et quidem rex Anglorum propter inquietam adolescentiam in regni sui primordiis plus formidabatur tanquam immitior princeps futurus. Porro de rege Francorum ob patris memoriam et ætatis teneræ mores innoxios in suis auspiciis meliora sperabantur, atque omne hominum genus imprecabatur illi prospera. At cum a partibus Orientis, ut supra memoratum est, ad propria remeasset, implacabili odio regis Anglorum in virum alterum mutatus est, et tanquam se de illo in propriis ulturus subditis, fere omnibus, et maxime religiosis clericisque, gravis apparuit. Rex vero Anglorum de captivitate re-

versus, Deo propitio, mitior inventus est. Unde venerabilis Johannes Lugdunensis archiepiscopus, qui ipso forte tempore in Angliam venerat, cum Lundoniis constitutus sederet cum viris honoratis, et plurimi coram eo de proprii principis duritia quererentur: "Nolite," inquit, "sic loqui: dico enim vobis, quia rex vester in comparatione regis Francorum heremita est." Et pauca de moribus ejusdem <sup>1</sup>regis subtexens, adjecit eum ætate proxime exacta ita propriis pepercisse thesauris ut omnes sumptus belli quod cum rege gerebat Anglorum ab ecclesiis maximeque monasteriis extorqueret.

Richard I.  
A.D. 1194.  
John arch-  
bishop of  
Lyons.

## CAP. IV.

*Quomodo tironum exercitia tempore regis Ricardi esse in Anglia cœperunt.*



**CURRENTIBUS** igitur inter reges induciis, meditationes militares, id est, armorum exercitia, quæ torneamenta vulgo dicuntur, in Anglia celebrari cœperunt, rege id decernente, et a singulis, qui <sup>2</sup>exerceri vellent, indictæ pecuniæ modulum exigente. Nec movit hæc regia exactio alacritatem juvenum in arma flagrantium quo minus flagrarent atque exercendi solemniter convenirent. Sane hujusmodi, nullo interveniente odio, sed pro solo exercitio atque ostentatione virium concertatio militaris nunquam in Anglia fuisse noscitur nisi in diebus regis Stephani, cum per ejus indecentem mollitiem nullus esset publicæ

Tournaments  
in England.

<sup>1</sup> *Regis.*] C. H. L.; principis, R. | <sup>2</sup> *Exerceri.*] C. H. L.; exercere, R.



Richard I.  
A. D. 1194.

They had  
been for-  
bidden by  
various coun-  
cils.

vigor disciplinæ. Porro temporibus regum priorum, Henrici quoque secundi qui Stephano successit, tironum exercitiis in Anglia prorsus inhibitis, qui forte armorum affectantes gloriam exerceri volebant, transfretantes in terrarum exercebantur confiniis. Considerans igitur illustris rex Ricardus Gallos in conflictibus tanto esse <sup>1</sup>acriores quanto exercitatiores atque instructiores, sui quoque regni milites in propriis finibus exerceri voluit, ut ex bellorum solemni præludio verorum addiscerent artem usumque bellorum, nec insultarent Galli Anglis militibus tanquam rudibus et minus gnaris. Sciendum verò hujusmodi armorum exercitia tribus generalibus conciliis sub tribus venerabilibus Romanis pontificibus esse <sup>2</sup>prohibita. Unde in concilio Lateranensi Alexander papa; "Felicis," inquit, "memoriæ papæ Innocentii et Eugenii prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, detestabiles nundinas, quas vulgo torneamenta vocant, in quibus milites ex conducto <sup>3</sup>venire solent, et audacia temeraria congregiuntur, unde mortes hominum et animarum pericula sæpe proveniunt, fieri prohibemus. Quod si quis eorum ibidem mortuus fuerit, quamvis ei poscenti pœnitentia non negetur, Christiana tamen careat sepultura."

<sup>1</sup> *Acriores.*] H. L. R.; atrociores, C.

<sup>2</sup> *Prohibita.*] Tournaments were also forbidden to be held in England by pope Celestine III. in 1193, under pain of ecclesiastical censure. This edict king Richard on his return from the Holy Land converted into a source of revenue. We find a royal brief dated on the 22nd of August of this year, and directed

to the archbishop of Canterbury, informing him that the king had issued a license for holding tournaments in five different places throughout England, on condition that every earl present should pay to the king twenty marks, every baron ten, and so on.

<sup>3</sup> *Venire.*] C. H. L.; convenire, R.

Cum ergo solemnem illum tironum concursum tanta sub gravi censura vetet auctoritas, fervor tamen juvenum, armorum vanissime affectantium gloriam, gaudens favore principum probatos habere tirones volentium, ecclesiasticæ provisionis usque in præsens sprevit decretum.

Richard I.  
A. D. 1194.

## CAP. V.

*De reditu Johannis ad fratrem.*

**S**ODEM tempore Johannes frater regis Anglorum cum multo dedecore contra fratrem militabat regi Francorum, a quo scilicet dum frater in Alemannia teneretur abstractus erat atque illectus, ut ruptis naturæ legibus fraternis hostibus jungeretur. Qui nimirum dum plurimum potuit, regi Francorum honorabilis fuit; ubi vero captis munitionibus quas in Anglia patris vel fratris profusa <sup>1</sup>largitione acceperat, tanquam nihil habens ad nocendum fratri, factus est impotens, sprevit eum rex Francorum, tanquam opera ejus non indigens. Ille autem videns fratrem non modo salvum ad propria remeasse verum etiam bene prosperari, tandem dignatus est ei reconciliari. Itaque, mediante matre, supplex ad fratrem rediit, a quo satis fraterne susceptus, ei de cetero contra regem Francorum fideliter et fortiter militavit, priores excessus novis officiis expians, et fraternam in se charitatem ad plenum reformans. Hugo quoque <sup>2</sup>Nunantinus, Cestrensis episcopus, vir in-

Ungrateful  
conduct of  
prince John.

He is recon-  
ciled to his  
brother the  
king.

Hugh de No-  
vant bishop  
of Coventry  
makes his  
peace with  
the king.

<sup>1</sup> *Largitione.*] C. H. L.; lar-  
gitate, R.

<sup>2</sup> *Nunantinus.*] C. H. L.; Vi-  
vantinus, R.



Richard I.  
A. D. 1194

constans in omnibus viis suis, qui a facie regis Anglorum, pungente mala conscientia, in Franciam fugerat, eundem regem non modica summa placavit: et episcopatu suo recepto, regiis magis negotiis quam sollicitudinis pastoralis officiis de cetero inservire curavit.

<sup>1</sup> CAP. VI.

*Quomodo Stephanus quidam a dæmone delusus est.*

Legend concerning Stephen procurator of Anjou.



**S**IBET hoc loco commemorare quod Stephano procuratori Andegavis contigisse fertur, paulo ante reditum ab Alemannia regis Anglorum. Idem enim Stephanus ex statu mediocri ad tantæ administrationis culmen a rege Henrico sublevatus, ipso superstite prudentiam atque modestiam in suis actibus ostentavit: filio quoque ejus regi Ricardo sic placuit ut eandem illi administrationem crederet peregre profecturus. Porro ille conjectans delicati corporis principem ex longissimæ et laboriosissimæ peregrinationis magnis certisque periculis vel non vel difficillime posse reverti, in diutina absentia ejus cœpit creditæ sibi potestatis fines excedere, atque ambulare in magnis et mirabilibus super se. Volens autem certissime dinoscere utrum idem princeps ad propria foret reversurus, suadente quodam familiari, quendam Toleti consistentem in artibus curiosis famosum super hoc credidit consulendum, habens divinationis pretium in manibus. Ille vero

---

<sup>1</sup> Cap. VI.] This and the following Chapter are omitted in R.

assumens deludendum hominem in locum secretum, caput illi quoddam adorandum exhibuit: "Quære," inquit, "ab hoc, sed pauca et breviter; nam ad multiloquium et ad plura non respondet." Tum ille: "Num," inquit, "visurus sum regem Ricardum?" Et respondit nequam spiritus de capite: "Non." Et ille: "Quamdiu," inquit, "durabit mihi administratio suscepta a regibus?" Respondit spiritus: "Usque ad mortem tuam." Tertio quæsivit ubi esset moriturus? Et responsum est: "In pluma." Nec licuit ei ulterius quærere: sed dimissus a vate, lætus abscessit, concinnatam dæmonis fallaciam suo tempore experturus. Denique præcepit suis ut modis omnibus præcaverent ne quid sibi plumeum occasione qualibet applicarent sive substernerent: hac sibi cautela vitam longissimam pollicens, cum non esset moriturus nisi in pluma. Cœpit ergo de cetero tanquam præscius futurorum confidentius agere, conculcare subditos, et maxime quendam ex nobilibus quem suspectum atque exosum habebat urgere. Qui viribus impar, in quandam munitionem suam fugit a facie insequentis. Ille vero munitionem castris circumdedit ut eam oppugnaret. Et cum forte circa eam cum paucis negligentius oberraret, qua parte facilius capi posset explorans, repente vir ille, quem ad audendum desperatio stimulabat, cum suis per posticam erumpens, raptum hostem, et quasi iudicio Dei in manus suas traditum, muris cum gaudio intulit, et frustra offerentem plurima pro anima sua crudeliter laniatum trucidavit. Munitione vero illa dicebatur Pluma: patuitque cavillatio spiritus illusoris <sup>1</sup>prædicentis quod infelix

Richard I.  
A. D. 1194.

Legend concerning Stephen procurator of Anjou.

---

<sup>1</sup> *Prædicentis.*] H. L.; præcedentis, C.



Richard I.  
A. D. 1194.

Legend con-  
cerning Ste-  
phen procu-  
rator of An-  
jou.

ille moriturus esset in pluma. Simile est quod olim contigisse noscitur Gereberto pseudo-papæ; qui nimirum sacrilegiis magicis deditus, quæsivit a capite æneo quando foret moriturus, et responsum est ei: “Quando <sup>1</sup>debebis missam celebrare in Jerusalem.” Credens itaque responsum vacillare non posse, et cogitans se nunquam visurum sanctam civitatem Jerusalem, cœpit vivere securus, tanquam nunquam moriturus vel saltem longissime victurus. Porro ignorabat a dæmone dignus illudi, Romæ esse ecclesiam Jerusalem dictam, ubi Romanus pontifex singulis annis consuevit sacra mysteria solemniter celebrare dominica qua canitur, ‘<sup>2</sup>Lætare Jerusalem.’ Cum ergo et ipse pro tempore exigeretur debitum consuetudinis, tandem vel sero fallacis responsi exhorruit atque expertus est veritatem. De Alberico quoque comite quondam Northanhimbrorum simile narratur; qui cum esset magnus et potens, proprio statu non contentus ambiebat majora, et consulto dæmone per quendam nefariæ artis sectatorem, audivit quod Græciam esset habiturus. Denique relictis omnibus quæ habebat, partes adiens Orientis, Græciam ingressus est pro fide oraculi. Cumque in <sup>3</sup>Græcia multam incassum moram fecisset, et auditum forte esset a Græcis quod super eos regnaturus advenisset, nudatum bonis omnibus de finibus suis exturbarunt, vix animæ ejus parcentes. Post annos vero fessus laboribus et ærumnis Normanniam rediit, et benigne susceptus est pro agnitione veteri a rege Henrico: qui fesso volens in reliquum providere,

<sup>1</sup> *Debebis.*] C. H.; debetis, | Sunday in Lent.

L. | <sup>3</sup> *Græcia.*] H. L.; Græciam,

<sup>2</sup> *Lætare Jerusalem.*] The introit and name of the fourth | C.

viduam ei nobilem cum omni patrimonio suo despondit. Cui mulieri cum in solemni benedictione a sacerdote diceretur: "domina Græcia complacet tibi in homine isto?" sic enim illa dicebatur: tunc demum ille agnovit astutiam spiritus illusoris, qui mentem cupidam in spem vanam erexerat, prædicendo quod Græciam esset habiturus.

Richard I.  
A.D. 1194.  
Legend concerning Stephen procurator of Anjou.

## CAP. VII.

*Quomodo ceciderit regnum Normannorum in Sicilia.*



**NISDEM** diebus florentissimum Siciliae regnum, quod a Wiscardo incipiens plus annis centum statum immobilem habuisse dinoscitur, casus magis malitia quam vi externa expugnatum, cum annexis provinciis, scilicet Campania, Apulia, Calabria, in imperatoris Teutonici ditionem transivit. Quod ut competentius exponatur, narrationis exordium altius sumendum est. Tempore igitur Willelmi senioris qui debellavit gentem Anglorum, Wiscardus, mediocri loco ex Normannia oriundus, cum eidem regi militans minus proficeret et propriæ virtutis confidentia nesciret humili contentus esse fortuna, relicta patria cum paucis comitibus Apuliam profectus est. Cumque ibi præclare militaret, exemplo ejus incitati paulatim ad eum confluxere ex gente ejus viri inopes, et commodis amplioribus inhiantes, factusque est eorum princeps: illos quoque, quibus paulo ante militaverat, cum malignari et fraudare <sup>1</sup>inciperent, in brevi subjugavit; ususque

The emperor Henry VI. takes possession of Sicily.

History of Sicily from the time of Robert Guiscard.

<sup>1</sup> *Inciperent.*] C. H; eum inciperent, L.



Richard I.  
History of  
Sicily from  
the time of  
Robert  
Guiscard.

Death of Robert Guiscard, 1085.

<sup>1</sup>procurrente fortuna, ita invaluit ut opulentissimis provinciis Apulia et Calabria in potestatem redactis, mira successuum felicitate regno quoque Siciliae potiretur. Nec contentus hac gloria, Græciam hostiliter ingressus, imperatoris Constantinopolitani provincias occupavit: eundem bello congressum, fuis ejus copiis, inglorium fugere compulit. Quo reparante bellum, et latissimi contrahente vires imperii, ille a Romano pontifice, qui ab imperatore Teutonico infestabatur, accepto mandato ut beati Petri ecclesiae sub omni celeritate subveniret, reliquit in Græcia cum exercitu filium Boamundum, ipse vero, assumpta parte militiae, concitus in Italiam rediit. Factumque est, supra modum arridentibus prosperis, ut una die de utroque imperatore, felicitate non dispari triumpharet: de imperatore quidem Teutonico per semetipsum in Italia, de imperatore vero Constantinopolitano per filium in Græcia. Verum non multo post sollicitatae ab eodem imperatore uxoris absumptus <sup>2</sup>veneno, quam vanum sit omne quod seculare est tantae felicitatis infelici exitu declaravit. Reliquit autem filiis amplissimae acquisitionis jus universum: qui et egregie post ipsum in multa felicitate et gloria imperasse noscuntur, Græcis Affrisque terribiles, imperatoribus quoque Teutonicis inaccessi. Denique cucurrit

<sup>1</sup> *Procurrente.*] C. H.; procurante, L.

<sup>2</sup> *Veneno.*] Robert Guiscard died on the 17th of July, 1085, in the island of Cephalonia, whither he had gone for the purpose of conquest. Although the statement of our author as to the manner of his death is

supported by Vitalis, Malmesbury, Alberic, and other French and English chroniclers, it is not certain that such was the case; at least there is no mention of it in William of Apulia, Romuald of Salerno, and other contemporary national historians. Vide *L'Art de Verifier les Dates*.



clarissimæ successionis series usque ad Willelmum Willelmi filium: qui cum illustrissimi regis Anglorum Henrici filiam duxisset uxorem, non susceptis ex ea liberis, immatura morte præreptus est. Cui successit arbitrio et electione optimatum<sup>1</sup> Tancredus nothus: cunctis Teutonicam aspernantibus ditionem. Quippe Constantia defuncti regis<sup>2</sup> amita, <sup>3</sup>cui eo defuncto jus successionis competere videbatur, Henrico Frederici imperatoris Teutonici filio nupserat. Qui nimirum, patre, ut supra expositum est, in expeditione Orientali defuncto, imperatoriam successionem legitima nactus potentiam, jus uxorum in imperium Teutonicum redigere studuit. Contractis igitur imperii viribus, Campaniam Apuliamque invasit: civitates nonnullas cum castellis plurimis per deditionem obtinuit. Cumque inclytam in urbibus Neapolim obsideret, exorta in castris pestilentia, numerosissimi exercitus non modicam partem absumpsit: ipse vero cum reliquis ægre evasit. Interim vero uxor ejus, Salerniæ constituta, incidit in manus hostiles. Civibus quippe, ut dicitur, annitentibus superveniens classis Tancredi, profligata manu militari, quæ ibidem reginæ assistebat, ipsam comprehensam in Siciliam traduxit: verum a rege Tancredo honorifice tractata, marito quoque post modicum resignata est. Cumque idem imperator in Germaniam reversus secundam expeditionem in Apuliam pro abolenda priori macula meditaretur, et ex ærario proprio sumptus bellici minus suppeterent, occasione forte reperta ut futuræ expeditionis promoveret negotium, nævo inexpiabili fœdavit

Richard I.  
History of  
Sicily from  
the time of  
Robert  
Guiscard.

<sup>1</sup> *Tancredus.*] C. H.; Tan-  
chredus, L.

<sup>2</sup> *Amita.*] C. H.; amica, L.

<sup>3</sup> *Cui.*] Cum, MSS.



Richard I.  
History of  
Sicily.

imperium. Imperatoriæ <sup>1</sup>quippe honestatis oblitus, et ex imperatore Christiano alter Saladinus effectus, illustrem Anglorum regem, a partibus Orientis, ubi multum pro Christo sudaverat, ad propria simpliciter revertentem, uti supra plenius relatum est, instigante avaritia, captivavit: sicque Anglia usque ad sacros calices pecuniis exinanita satis infames bello Apulico expensas paravit. Rege autem tandem relaxato, sed retentis ejus obsidibus, eo quod avaritiæ ignis <sup>2</sup>exæstuans in pectore inverecundo nondum <sup>3</sup>diceret 'Sufficit,' infinitas ex omni imperio contraxit copias, hostium fines ingressurus. Verum ante irruptionem bellicam, contigit regem Tancredum cum filiis in fata concedere: nec jam aliquis supererat masculus ex semine regio qui vacanti præsumeret regno irrepere, præsertim cum imperiali potentiæ hereditaria conjugis ejus justitia jungeretur. Adveniens ergo cum exercitu imperator, nomine <sup>4</sup>comparis suæ haut difficulter opulentissimas Apuliæ, Calabriæ, Siciliæque regiones obtinuit. Et ceteris quidem, ut dicitur, qui sub Tancredo obstiterant veniam dedit; cives vero Salernitanos percutiens castigatione crudeli, ipsam clarissimam civitatem evertit. Quod et victor olim Wiscardus ejusdem urbis fecisse civibus dicitur; hoc ipso eis palmam perfidiæ tribuens, et punitionis exemplo disciplinam in posterum sanciens. Sic igitur regnum nobilissimum quod virili successione diu immobile steterat, per feminam heredem deficiens concidit,

<sup>1</sup> *Quippe.*] C. H. ; quoque, L.

<sup>2</sup> *Exæstuans.*] H. L. ; æstuans, C.

<sup>3</sup> *Diceret.*] C. H. ; duceret,

L.

<sup>4</sup> *Comparis.*] The empress Constance was daughter of Roger II. count of Sicily by his second marriage.

atque in provinciam Teutonici <sup>1</sup>imperatoris transivit, anno a partu virginis M. C. nonagesimo quarto.

Richard I.  
A. D. 1194.

## CAP. VIII.

*De horrenda morte ducis Austriæ.*

ANNO a partu virginis M. C. nonagesimo quinto ingresso illustri Anglorum regi post gravium experimenta malorum favor cœpit arridere divinus. Cum enim plusquam viginti marcarum milia præparasset duci Austriæ, cum multo periculo <sup>2</sup>mature transmittenda, illi quos eidem duci pro satisfactione summæ exactæ obsides dederat, repente affuere, habentes mel et lac sub lingua sua; hostem scilicet immanissimum divini pondere judicii obrutum nunciantes, et pro fide nuncii seipsos cum gaudio ostentantes. Referabant autem ejusdem potentis terram ante ejus interitum flagello multiplici ita divinitus fuisse attritam, ut ex hiis posset agnoscere sibi quoque non lento jam pede appropinquare judicium nisi maturius faceret fructus dignos pœnitentiæ, homo tantorum reus malorum, quæ proculdubio in regnis Christianis provenisse noscuntur ex infelicissima illa captivitate regis Anglorum. Denique, ut dicitur, civitates terræ illius incertam prorsus causam habentibus incendiis conflagrarunt. Danubius fluvius maximus, tanquam ad ultionem egressus,

A. D. 1195.  
Affairs of  
Austria.

Conflagra-  
tions.

Destructive  
overflow of  
the Danube.

<sup>1</sup> *Imperatoris.*] Henry was crowned king of Sicily at Palermo in the month of October, 1194.

<sup>2</sup> *Mature.*] C. H. L.; omitted R.



Richard I.  
A. D. 1195.

Drought and  
pestilence.

The duke of  
Austria cele-  
brates  
Christmas  
with great  
pomp.

Is thrown  
from his  
horse, and se-  
verely in-  
jured.

His foot  
mortifies.

adjacentia quædam loca cum ingenti hominum exitio occupavit. Æstate media tota illa regio, in naturali atque insolita ariditate deficiens, intempestive viroris sui gratia caruit. Semina frugum terræ mandata cum deberent erumpere, <sup>1</sup>degenerarunt in vermes. Nobiliores quoque terræ illius tanquam effusa pestis morbus absumpsit. Non terruerunt ista cor nequam et avarum quo minus opibus Anglicanis inhiaret adhuc, cum plurima jam marcarum milia a rege captivo sumpsisset. Et quidem a Romano pontifice pro hiis quæ in eundem regem commiserat anathemate innodatus, avaritia tamen fortius perurgente superbe derisit sententiam. Jam posita erat divinæ animadversionis securis ad radicem malæ arboris. Sed quia scriptum est, “<sup>2</sup>Contritionem præcedit superbia, et ante ruinam exaltatur spiritus,” de insignis captivi quasi manubiis inclytus, convocatis nobilibus terræ, Dominici natalis solemnitatem in multa ostentatione et gloria celebrare voluit. Et die quidem primo gloriosus effulsit: in crastino vero gloriam Deo dedit. Cum enim in natali beati Stephani jam pransus exisset, ut in campo cum suis militibus luderet, forte equus ejus decidens sessorem quoque dejecit, pedemque ejus ita comminuit ut ossa hinc inde confracta, rupta cute, exterius prominerent. Acciti mox medici, tantæ læsionis curandæ sollicitudinem habuere, atque adhibuere quæ expedire credebant. In crastino vero pes ita denigratus apparuit ut a medicis <sup>3</sup>incidendus decerneretur. Quod cum ipse prævitæ amore fieri postularet, non est inventus vel

<sup>1</sup> *Degenerarunt.*] C. H. R.; 18.  
degenerarent, L.

<sup>2</sup> *Contritionem.*] Proverbs xvi.

<sup>3</sup> *Incidentus.*] C. H. L.; ab-  
scidendus, R.



medicus, vel familiaris, vel filius, qui hoc patraret. Tandem accitus cubicularius ejus, atque ad hoc coactus, <sup>1</sup>dum ipse dux dolabrum manu propria tibiæ apponeret, malleo vibrato, vix trina percussione pedem ejus abscidit. Medici vero, appositis medicaminibus, cum eum in crastino visitarent, signis haut ambiguis mortem esse in januis cognoscentes, vultu et voce dixerunt: “<sup>2</sup>Dispone domui tuæ, quia morieris tu et non vives.” Desperatus igitur accitis episcopis, qui ad solemnitatem invitati venerant, in conspectu optimatum a vinculo anathematis quo eum Romanus innodaverat pontifex petiit relaxari. Responsum est ab universo clero quod nullatenus posset absolvi nisi sub juratoria cautione quod super injuriis regi Anglorum illatis judicio ecclesiæ staret; optimatibus quoque pariter jurantibus quod si forte judicium ecclesiasticum <sup>3</sup>per eum minus procederet, ipsi modis omnibus procurarent ne quid ex hiis quæ statuerentur in irritum cederet. Hac cautione solemniter præstita, absolutionis munus promeruit; moxque obsides regis Anglorum liberari præcepit. Verum cum post modicum, ingravescente <sup>4</sup>molestia, expirasset, succedens filius paternæ quoque avaritiæ heres esse voluit; et ne ultima defuncti patris voluntas impleretur, adjunctis sibi quibusdam nobilibus, obstitit. Unde factum est per laudabilem <sup>5</sup>atque invictum cleri zelum ut tanti ducis corpus diebus aliquot inhumatum inobedienti filio maculam irrogaret. Qui tandem consternatus, memoratos obsides absolute relaxavit, eisque qua-

Richard I.  
A. D. 1195.  
Amputation  
is perform-  
ed.

The duke  
liberates  
the English  
hostages.

His death.

<sup>1</sup> *Dum ipse dux . . . abscidit.*] C. H. L.; pedem abscidit, R.

<sup>2</sup> *Dispone.*] 2 Kings xx. 1. Isaiah xxxviii. 1.

<sup>3</sup> *Per eum.*] C. H. L.; omit-

ted R.

<sup>4</sup> *Molestia.*] C. H. L.; infirmitate, R.

<sup>5</sup> *Atque invictum.*] C. H. L.; omitted R.



Richard I.  
A.D. 1195.

tuor marcarum milia regi Anglorum reportanda contradere voluit. At illi propter viarum pericula expediti repatriare maluerunt, et tanto velocius quanto et alacrius revertentes suæ liberationis nuncii primi extiterunt. Gavisus rex nuncio, gratias egit Deo, et ex eo correctior vixisse perhibetur.

### CAP. IX.

*Quid Dei ordinatione evenerit in pago Cenomanensi  
¹ad correctionem regis Anglorum.*

Legend.



LIUD quoque ipso tempore in pago Cenomanensi accidisse fertur, quod eundem regem non frustra territum suæ propensius salutis admonuit. Res pluribus nota est, quam nostræ simpliciter narrationi inserimus prout nobis viri venerabiles et fide digni tradidere, a Cenomanensi episcopo id ipsum se accepisse protestantes. Vir quidam ex ejusdem episcopi clientela, piæ devotionis instinctu, profectus Hispanias ad memoriam beati apostoli Jacobi, cum sospitate ad propria remearat. Qui post modicum calore fidei et devotionis fortius ignescens, longe laboriosiori peregrinatione sepulchrum invisere Dominicum voluit. Valedicens ergo suis, iter opportune arripuit. Et cum forte solus graderetur, repente in ipsa via obstitit ei quidam enormi corpore et vultu terribili. Pavefactus homo, elevata manu Christianam sumpsit armaturam. Ille vero tanquam non reputans

---

¹ *Ad correctionem regis Anglorum.*] C. H. L ; ad coronationem regis, R.

salutare signaculum: "Nequaquam," inquit, "hoc modo tueri te poteris, quin meus sis; porro si procidens adoraveris me, faciam te locupletem et inclytum valde." Ad <sup>1</sup>hæc homo, pavorem fiducia superans, cum libertate respondit: "Liquet te esse partis sinistræ, sint tua tibi; nam mihi sufficit omnipotentis Dei largitio, quem solum adoro." Et ille: "Oportet," inquit, "te vel invitum aliquid habere de meo." Et proferens tanquam pallium subtilis materiæ, jactavit super caput hominis, quod mox attactu igneo capillis exustis cutem quoque capitis denigravit. Prosiliensque hostis, hominem periculo anxium per brachium apprehendit. Homo vero cum tanta perurgeret necessitas, sanctum Jacobum ex recentis obsequii conscientia fortiter inclamavit. Qui beatus apostolus in specie reverenda manifeste mox affuit, et potenti verbo invasorem improbum increpavit. Ut autem homo de <sup>2</sup>manibus inimici furentis ereptus, tuto jam auditu perciperet, quorum, ut creditur, audientium gratia per voluntatem Dei articulum illum inciderat: apostolus ad nequam illum: "Dic," inquit, "quis sis, vel quid negotii habeas." <sup>3</sup>Qui constrictus imperio: "Dæmon," inquit, "sum generi humano infestus, et mille nocendi artibus instructus. Ego enim grande illud scandalum et Christianæ possessionis jacturam in Oriente patravi—ego inter reges Christianos in terra promissionis, ut nil ab eis ageretur, nec prosperaretur opus Dei in manibus eorum, detestabilem discordiam seminavi—regem Anglorum a Syria digressum per ministrum nequitiae meæ, ducem scilicet Austriæ, captivavi, multimodam exinde malorum occasionem regnis

Richard I.  
A. D. 1195.  
Legend.

<sup>1</sup> *Hæc.*] C. H. L.; hoc, R. | R

<sup>2</sup> *Manibus.*] C. H. L.; manu, | <sup>3</sup> *Qui.*] C. H. L.; quo, R.



Richard I.  
A. D. 1195.  
Legend.

Christianis concinnans eundem quoque regem de captivitate ad propria revertentem comitatus, in partibus istis nunc consisto, cubili regio tanquam familiaris minister frequenter assisto, et circa thesauros ejus apud Chinonem repositos pervigili cautela observo." Hiis dictis, malignus disparuit: apostolus etiam, confortato homine, in suæ se claritatis secretum recepit. Homo vero ad urbem Cenomanensem mature reversus, episcopo <sup>1</sup>virisque prudentibus cuncta per ordinem replicavit; in argumentum fidei caput depilatum, et brachium, manus pestiferæ contactu ustulatum, <sup>2</sup>nudavit. Quibus actis, post dies aliquot propositum iter repetiit. Nec <sup>3</sup>diu ista latuere regem Ricardum. Qui nimirum Ejus qui tangit montes et fumigant timore compunctus, salubrioris instinctu consilii, cubiculum suum, sicut accepimus, de cetero castius esse voluit, et de thesauris suis largiores indigentibus eleemosynas <sup>4</sup>erogavit.

## CAP. X.

*De morte Hugonis Dunelmensis episcopi.*

A. D. 1194.  
Life and character of  
Hugh Pudsey bishop of  
Durham.



IS diebus Hugo Dunelmensis episcopus extrema sorte defecit, anno sacerdotii sui <sup>5</sup>quadragesimo secundo. Et quidem electorum pontificum, quibus dignus non erat mundus, raros

<sup>1</sup> Virisque.] C. H. L.; ur-  
bisque, R.

<sup>2</sup> Nudavit.] C. H. L.; indi-  
cavit, R.

<sup>3</sup> Diu ista latuere.] C. H. L.;  
latuit hoc, R.

<sup>4</sup> Ero-  
gavit.] C. H. L.; ero-

gare, R.

<sup>5</sup> Quadagesimo secundo.] Hugh  
Pudsey, treasurer of York and  
archdeacon of Winchester, con-  
secrated bishop of Durham, 20  
Dec. 1153, died 3 March, 1194.

legimus tanto tempore officio functos : nostri autem temporis episcopis, quibus mundus non est crucifixus sed infixus, nescientibus cum propheta dicere, “ Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est,” etiam productius in illa excellentia tempus breve videtur, tantusque hos cum suas vel divitias vel delicias deserere coguntur, torquet dolor, quantus illis dum affluerent hæsit amor. Dicitur autem episcopus ille, nescio unde deceptus, dum in prosperis ageret, tam annosam sibi prophetasse ætatem, ut audientibus plurimis pronunciaret se, oculis senio caligantibus, annos decem in cæcitate acturum. Quamobrem mundo secure incubans, extremis tandem ex improvise urgentibus, hujus sententiæ vel sero agnovit mendacium. Sane utrum in hoc aliquis eum quasi divinando deluserit, an ipse abundans in sensu suo, ex consideratione bonæ valetudinis suæ, vitam sibi longiorem pollicitus fuerit, incertum est. Quippe usque ad septuagesimum annum quo decessit, morbumque quo absumptus est, fere semper corpore indolorius, sospes et vegetus vixisse perhibetur. Homo in terrenis disponendis prudentissimus, et sine multis litteris eloquentissimus; pecuniarum sitientissimus; earumque scientissimus exquirendarum. Spirituali potentia sive excellentia episcopus non contentus, secularem ambivit; et multa ecclesiasticæ pecuniæ, religiosi potius usibus applicandæ, jactura, quæsivit sibi nomen grande juxta nomen magnorum qui sunt in terra. Castellorum instructioni atque insignium in locis plurimis ædificiorum fabricæ deditus, quo plus studuit ædificare in terra, eo remissius ædificare curavit in cœlo. Hic nimirum ob solam generis nobilitatem ex secularis vitæ illecebris in ætate minus canonica ad episcopatum assumptus, studiose implevit illud

Richard I.  
Life and character of  
Hugh Pudsey bishop of  
Darham.



Richard I.  
Life and cha-  
racter of  
Hugh Pud-  
sey bishop  
of Durham.

Salomonis: “<sup>1</sup> Omnia quæ desideraverunt oculi mei non negavi eis; nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur.” Cumque opibus plerumque non parceret, sed multo studio congesta, ne quid magnis animi sui conceptibus deperiret, indiscrete effunderet, alias tamen multo plus erat congregans quam dispergens. Leprosis indulgentior, nobile illis xenodochium, non longe a civitate Dunelmensi, profusa quidem sed tamen ex parte minus honesta largitione, construxit; alieni quippe juris non modicum huic devotioni per potentiam applicans, dum propria sufficienter impendere gravaretur. Sane cum post plebis Christianæ in Oriente excidium Christiani principes multusque populus characterem Dominicum suscepissent, ipse quoque ejusdem piæ devotionis consors esse voluit. Denique in capite jejunii signum Domini solemniter sumpsit, et pro castigandis peccatis suis sub veste exteriori <sup>2</sup>mollicilio mutavit, quo tamen diu usus non est. Porro ut abjiciendi etiam sacri characteris occasio non deesset, tepide rogatus a principe, publicæ administrationis sollicitudinem, ut suo loco plenius dictum est, minime recusavit, ac deinde ab eodem callide inductus, appensa illi universa pecunia quam in sumptus longissimæ peregrinationis congesserat, comitatum Northumbriæ comparavit. Quo facto, et rege in Orientem profecto, a sacro tandem characterе humerum liberavit, ac geminato honori episcopus senior comesque novitius incubans, potentiam suam et gloriam usque ad ejusdem principis reditum magnifice ostentavit. Cum autem ejus de captivitate Alemannica in

---

<sup>1</sup> *Omnia.*] Ecclesiastes ii. 10. | <sup>2</sup> *Mollia.*] C.H.L.; molli, R.



regnum regressi faciem minus sibi arridentem notasset, non aliter eum, quam resignato comitatu, quem gravi summa emerat, et spatio brevi possederat, placari posse credidit. Non tamen vel sic placare eum potuit, quem nimirum exactionibus importunis postmodum gravem sensit, credentem scilicet tanti episcopi sacculos non facile posse exhauriri, præsertim cum ille pro redimendo comitatu, quem olim frustra emerat, in multa quantitate pecuniam novam offerret. Proinde regi in partibus transmarinis constituto, et oblatam quidem pecuniam imminetia regia exigenti, non tamen comitatum reddenti, per responsales et munera supplicavit ut vel mediante ipsa pecunia comitatum redderet vel non reddens ab exactione cessaret. Rex autem callide, ut olim, hominem palpans, litteris reverentia plenis mandavit ut oblatam summam appensurus Lundonias accederet, et tanquam pater patriæ cum archiepiscopo Cantuariensi totius regni moderator de cetero resideret. Qua gratia exhilaratus episcopus, in multa lætitia eundi Lundonias iter arripuit; veniensque ad villam propriam, quæ dicitur <sup>1</sup>Creic, dominica qua mos est sacerdotibus caput quadragesimalis jejunii solemni esu carnum prævenire, ibidem supra virtutem corporis senilis ingurgitavit se epulis, dum miser, cui nil sapit venter, per saporum illecebram de numerositate ferculorum usque ad gravamen proprium suscipere cogeretur. Cumque per vomitum vitio crapulæ mederi voluisset, eo ipso afflictus est magis. Ab illo ergo die sensim deficiens, obstinato tamen animo progressus est itinere dierum aliquot usque Don-

Richard I.  
A. D. 1194.  
Life of Hugh  
Podsey bi-  
shop of Dur-  
ham.

<sup>1</sup> Creic.] C. H. L.; Craet, R.



Richard I.  
A. D. 1194.

Death of  
Hugh Pud-  
sey bishop of  
Durham.

castrum; nec ulterius, crescente incommodo, ob-  
luctari valens, itinere liquido circa <sup>1</sup>primam Do-  
minicam Quadragesimæ delatus Hovedennam  
<sup>2</sup>idem decubuit. Et cum ingravescente molestia  
jam desperaretur, amicis qui aderant suadentibus,  
testamentum condidit, et pro tempore faciens fruc-  
tus vel seræ pœnitentiæ, sensu quidem doloris  
modico, sicut fatebatur, sed defectu paulatim ser-  
pente, et tandem prævalente, vitam finivit. Illo  
autem mortuo, et episcopatu illico per ministros  
regios in fiscum redacto, <sup>3</sup>iidem omnia secreta ejus  
<sup>4</sup>perscrutantes, quicquid repertum est regiis appli-  
cuere commodis. Sed nec ministri et familiares  
ejus evasere quæstionem, qui nimirum jussione  
regia tanquam subtractores bonorum ejus districtæ  
discussioni addicti, pro viribus quisque substantiæ  
suæ satisfacere sunt compulsi.

## CAP. XI.

*De tribus spuriiis ejusdem episcopi; et quis ei  
successerit.*

His three  
bastard chil-  
dren.



ANE memoratus episcopus, dum ad-  
huc Eboracensis esset ecclesiæ the-  
saurarius, paulo ante episcopatum,  
diversis ex matribus tres spurios fu-  
derat; nec tamen hoc vel ipsum  
divini respectu judicii ab episcopatu ambiendo  
deterruit, vel electionem ejus, quod et canones

<sup>1</sup> *Primam.*] In the year 1194  
the first Sunday in Lent fell on  
the 27th of February.

<sup>2</sup> *Idem.*] H.L.; ibidem, C.R.

<sup>3</sup> *Idem.*] Idem, MSS.

<sup>4</sup> *Perscrutantes.*] C. H. L.;  
scrutantes, R.

remissius et homines indiscretius agerent, impedivit. Ait enim beatus Gregorius scribens clero et nobilibus civitatis Neapolis; "<sup>1</sup>Johannem diaconum, qui ab altera parte electus est, parvulam habere filiam quorundam relatione cognovimus. Unde si rationem voluissent attendere, nec alii eum eligere nec ipse debuerat consentire; nam qua præsumptione ad episcopatum audet accedere qui adhuc longam sui corporis continentiam, filiola teste, convincitur non habere?" Si ergo iste propter unam filiulam ad episcopatum non debuit aspirare vel eligi, multo minus ille propter tres <sup>2</sup>filiolos. Episcopatum tamen nactus, susceptam quidem ante episcopatum sobolem per illecebram carnalis affectus studuit ad divitias et nomen grande provehere. Porro in episcopatu sobolem minime procreavit. Primogenitus ejus nobiliori matre procreatus, secularem militiam plus amavit. Sequens vero cum archidiaconatu Dunelmensi ecclesias plurimas ad usum magis deliciarum quam utilitatem animarum paterna provisione possedit. Tertius autem, quem pater tenerius diligebat, multa ejus opera et impensa regis Francorum cancellarius, immatura morte paternum verberavit affectum. Medius quoque filiorum a patre superstes sospesque relictus in multa felicitate terrena, a patris decessu mense sexto ejusdem felicitatis vanitatem atque fallaciam patrem sequendo probavit. Sane anno a morte ejusdem episcopi expleto, et episcopatu per officiales regios multifariam spoliato, accepit eandem sedem nutu regio <sup>3</sup>Philippus, genere Aquitanus. Cum enim

Richard I.  
A. D. 1195.

<sup>1</sup> *Johannem.*] S. Gregor. Epist. Lib. x. Epist. 62. Opera, 1705.

<sup>2</sup> *Filiolos.*] C. H. L.; filios, R.

<sup>3</sup> *Philippus.*] Philip of Poitiers, elected November, 1195.



Richard I.  
A. D. 1195.  
Succession of  
Philip of  
Poitiers to  
the see of  
Durham.

esset idem circa principem multo tempore sedulus, laborum particeps, et conscius secretorum, tanquam de se optime meritum præclare remunerari idem rex voluit. Ne autem sumere sibi honorem videretur, sed potius vocari a Deo tanquam Aaron, callide provisum est, atque intentato implacabili regis motu, si quis refragandum duceret, electuris extortum ut præelectum regium eligerent, et veritatem electionis regiae celebri ecclesiasticæ electionis imagine adumbrarent. Solent enim plurimi qui per potentum operam ad ecclesiasticos honores aspirant, ut manifestæ intrusionis evitent <sup>1</sup>elogium, terroribus elicite electionis quasi honestam prætexere speciem. Id vero frustra, cum dicat apostolus: “<sup>2</sup> Nolite errare. Deus non irridetur. Quæ enim seminaverit homo hæc et metet.”

## CAP. XII.

*Quomodo Hubertus Cantuariensis archiepiscopus in Eboracensi ecclesia, nomine legati, celebravit concilium: et de lite quæ vertitur inter Cantuariensem et Eboracensem de primatu.*



EFUNCTO igitur Dunelmensi episcopo, atque Eboracensi archiepiscopo ad placandam regis iram, quæ adversus eum vehementer excanduerat, in transmarinis partibus constituto, Hubertus Cantuariensis archiepiscopus, et vices non tantum regias in regni <sup>3</sup>moderatione, verum

<sup>1</sup> *Elogium.*] H. L.; eloquium, C.; elgium, R.

<sup>2</sup> *Nolite.*] Galatians vi. 7.

<sup>3</sup> *Moderatione.*] H. L. R.; moderamine, C.

etiam apostolicas in ecclesiastica ordinatione per totam habens Angliam, ostentaturus gloriam utriusque potestatis, Eboracam metropolim adiit; praelatos totius provinciae uti solemniter sibi occurrerent atque assisterent, praemissa auctoritate, imperavit; suppresso pro tempore primatis nomine, <sup>1</sup>ipsam ecclesiam metropolitanam nomine legati apostolicae sedis pompaticè ingressus, potestatem in ea magnam exercuit; et nullo obsistente vel reclamante, eo quod omnes vel terrore ejus perstricti vel metropolitano proprio minus essent devoti, <sup>2</sup>concilium magnifice celebravit. Quibus actis, et seculari quoque pro tempore ibidem jurisdictione expleta, propriae se provinciae reddidit. Hic memorandum puto qua vel ratione vel occasione duo metropolitani Anglorum per longa jam tempora de prioratu contenderint. Eboracensis quidem perspicua se beati Gregorii auctoritate tuetur. Scribens enim Augustino Anglorum episcopo: "Eboracensem," inquit, "episcopum tuae fraternitatis dispositioni volumus subjacere: post obitum vero tuum, ita episcopis, quos ordinaverit, praesit, ut Lundoniensis episcopi nullo modo ditioni subjaceat." Et adjecit: "Sit vero inter Lundoniae et Eboracae episcopos in posterum honoris ista distinctio, ut ipse prior habeatur qui prius fuerit ordinatus." Cantuariensis vero episcopus, quem beatus Gregorius Lundoniensem vocat, asserit huic auctoritati posteriori tempore abrogatum: quando scilicet Romanus pontifex doctissimum virum Theodorum, ut venerabilis Beda refert, Cantuariensis ecclesiae ordinavit episco-

Richard I.  
A. D. 1195.

Council held  
at York.

Subject of  
precedence  
between the  
archbishops  
of Canter-  
bury and  
York.

<sup>1</sup> *Ipsam.*] C. H. L.; ipsam-  
que, R.

<sup>2</sup> *Concilium.*] This council | was held at York on the 14th  
and 15th of June, 1195, on disci-  
pline.



Richard I.  
A. D. 1195.  
Subject of  
precedence  
between the  
archbishops  
of Canter-  
bury and  
York.

pum; quem et præfecit universis Angliæ episcopis tanquam primatem; cujus successores per multa tempora eadem prærogativa insignes fuisse noscuntur: unde constat eam non personæ sed ecclesiæ fuisse concessam. Respondetur a parte Eboracensis, quod beatus sancivit Gregorius manifesti et solidi <sup>1</sup>esse juris, quod nullo quidem tempore abrogatum: sed quodam tempore ratione ipsius temporis in usu non fuit, tanquam soporatum et suo tempore excitandum. Anglis siquidem nuper ad fidem Christi conversis, juxta veracis Bedæ historiam, rudes et indocti ex ipsa gente episcopi præesse cœperant: quibus necessario informandis Romanus pontifex pia providentia doctum præfecit Theodorum, non quidem evacuans decretum beatissimi patris Gregorii, sed tantum consulens tempori. Successores vero Theodori aut similiter tempori consulendum duxerunt, aut temporibus melius se habentibus præsumptores fuerunt: cum Angli episcopi Eboracensi ecclesiæ præsidentes simplicitate quadam rustica de propriæ sedis prærogativa minus curarent, et usum quoque pallii a diebus Paulini episcopi per tempora multa negligerent. Ad hæc dicit Cantuariensis: quia et postquam usus pallii Eboracensi ecclesiæ est redditus, plures ejusdem ecclesiæ pontifices Cantuariensis ecclesiæ sive pontificis tanquam proprii primatis jurisdictioni subjacuisse noscuntur. Respondet Eboracensis: quia sicut ratio necessitatis temporalis juri Eboracensis ecclesiæ, quod non perfunctorium sed solidum et perpetuum esse beatus Gregorius voluit, præjudicium generare non potuit, ita nec simplicitas sive negligentia antistitum

---

<sup>1</sup> *Esse juris.*] C. H. R.; ejus juris esse, L.

ejusdem ecclesiæ. Denique ista de prioratu tam vana contentio Anglorum metropolitanos longo et sumptuoso labore exercuit. Vanissime autem uterque illorum se scribit totius Angliæ primatem, cum neuter habeat significatam hoc nomine potestatem. Inde est, quod memoratus Cantuariensis, ut susciperetur ab ecclesia Eboracensi tanquam apostolicæ sedis legatus, supprimendum putavit nomen primatis: quod utique non simpliciter est suppressum, sed, cum aliter non posset suscipi, quod non tanquam primas adveniret expressum. Verum nec legationis suæ ratione facile suscipi potuisset: si clerus ejusdem ecclesiæ privilegio ante annos aliquot a sede apostolica impetrato uti voluisset, quo scilicet a jurisdictione cujuslibet legati in Anglia instituti cum suo eximebatur pontifice. Quem nimirum, quoniam non frustra velut terribilem formidabat, pro ejus prærogativa tepide æmulandum duxit, et legato potius, quem amicum et patronum optabat, maluit subjici, quam illius non frenandam potentiam experiri.

Richard I.  
A. D. 1195.

### CAP. XIII.

*De exercitu Sarracenorum qui ex Affrica Hispanias intravit.*



ISDEM diebus, hoc est anno M. C. nonagesimo quinto a partu virginis, Christianis adhuc regibus Francorum et Anglorum execrabilis in alterutrum odii morbo laborantibus, atque ægre sustinentibus expletionem induciarum quibus eorum vel ad modicum malitia nocendi avida frenabatur, Sarracenorum ex Affrica tremendus exer-

Invasion of  
Spain by the  
Moors.



Richard I.  
A. D. 1195.  
Invasion of  
Spain by the  
Moors.

citus, duce, ut dicitur, quodam suæ superstitionis pseudo-philosopho grandia pollicente, Hispanias intravit, <sup>1</sup>junctusque Sarracenis indigenis, Christianis se finibus perniciosus immersit. Æmulantes quippe Affri Orientalium Sarracenorum ferventem adhuc fortunam, qui sub principe Saladino regnum Jerosolymitanum invaserant, et Christiani nominis titulum ex Arabia funditus, ex Syria vero usque ad contemptibiles reliquias exturbarant, eosque fortitudine et gloria æquare cupientes, vicinas gentes Christianas moliti sunt vel expellere vel delere, totasque spurcissimæ sectæ suæ Hispanias applicare. Augebat autem eorum fiduciam, quod tempus eos juvare videretur, dissidentibus scilicet inter se fere totius Europæ principibus Christianis, atque ita circa nefarios cupiditatum suarum motus explendos intentis, ut tepide aliquis eorum pro fidei Christianæ vel propagatione vel defensione in Hispaniam accingendus militiam crederetur. Itaque fretum quod Affricam Hispaniamque determinat transmeantes, junctis sibi Hispanorum infidelium copiis cruenta et effreni audacia debacchabantur in finibus Christianis. Nostri vero primo repentina infinitæ multitudinis irruptione attoniti, mox resumptis animis discrimen experiri bellicum statuerunt. Denique a regibus Christianis ejusdem terræ, quæ nimirum adeo spaciosa est ut extra partem sui non modicam quæ a Sarracenis possidetur quinque non ignobilibus regnis Christianis sit inclyta, varia contra perfidos illos sorte pugnatum est. Et multum quidem utrinque sanguinis fusum est, sed tandem, Deo nostris propitio, hostilis exercitus plurima sui parte mutilatus, ad

<sup>1</sup> *Junctusque.*] C. H. L.; junctisque, R.



propria cum dedecore rediit, minus forte de cetero de vana sui ducis philosophia præsumpturus. Sane rumor irruptionis hostilis late discurrens, totamque in brevi percurrens Europam, atrociora nunciavit, populis Christianis <sup>1</sup>alte gementibus, et principes suos justa querela incusantibus, qui non se zelo igniti divino grassanti perfidiæ opponerent, sed, juxta apostolum, <sup>2</sup>mordendo et comedendo invicem consumerentur ab invicem, atque ita bellando <sup>3</sup>inter se vires attererent Christianas, quas utique contra hostes nominis Christiani integras oporteret servari; nec recenti terræ Jerosolymitanæ commonerentur exemplo, quæ utique nostris inter se dissidentibus in manus Agarenorum infelicissime noscitur incidisse. Minus enim animavit atque adjuvit contra nos hostem sacræ religionis Saladinum propriarum fiducia vel potentia virium, quam nostrorum, qui Terram Sanctam regere videbantur, callide explorata discordia procerum. At hoc parum est veterum respectu damnorum, quæ profecto ex nostrorum discordiis robur enervantibus Christianum profluxisse noscuntur. Cum enim, florente olim republica Romana, tantus immo et latior esset orbis Christianus quam orbis Romanus, qui nimirum præter Europam clarissimas maximasque Asiæ provincias cum tota fere Affrica intra suos limites cohibebat, intestinis Christianorum <sup>4</sup>malis principum et populorum actum est ut Agarenis, qui et Sarraceni dicuntur, invalescentibus, et secta nefaria mundum replentibus, Christiana religio extra fines Europæ modicum possideret. Quin etiam Europæ ex Affrica

Richard I.  
A. D. 1195.

Invasion of  
Spain by the  
Moors.

<sup>1</sup> *Alte.*] H. L. R.; late, C.

<sup>2</sup> *Mordendo.*] Conf. Galat. v.  
15.

<sup>3</sup> *Inter se . . . utique nostris.*  
C. H. L.; omitted R.

<sup>4</sup> *Malis.*] C. H. L.; malorum, R.



Richard I.  
A. D. 1195.

prius infecta idem pestilentissimus error irrepsit, atque usque in hodiernum diem partem Hispaniarum non modicam maculavit. De origine autem hujus spurcissimæ sectæ, et quomodo in tantum invaluerit ut tot gentes et regna corrumpere, propter eos qui forte nesciunt juxta majorum traditionem paucis perstringere libet.

#### CAP. XIV.

*De Macometo pseudo-propheta, et de lege quam per spiritum erroris introduxit, et quomodo eadem lex plurimas gentes infecit.*

History of  
Mahomet.



**M**OST tempora beati papæ Gregorii cum Romanum imperium, quod olim ab oceano Britannico usque ad fines Persidis porrigebatur, tyrannicis motibus bellisque civilibus ita esset attritum ut propriæ adversus gentes externas defensionis jam minus sufficeret, paganus Persarum exercitus in Christianos efferatus minimo negotio quasdam orientales Romanæ ditionis et Christianæ religionis provincias milite vacuas occupavit. Secuta est e vestigio Ismaelitarum, qui proprie quidem Sarraceni sed verius Agareni dicuntur, pestis edacior, quæ nimirum juxta quod scriptum est, “<sup>1</sup>Residuum erucæ comedit locusta,” Christianas in Oriente reliquias fere usque ad internecionis extremum persecuta est, agens sub principe <sup>2</sup>Macometo pseudo-propheta. Sane hic in adolescentia negotiandi gratia plurimas peragrans regiones,

<sup>1</sup> *Residuum.*] Joel i. 4.

<sup>2</sup> *Macometo.*] A. D. 609 was

“the year of Mahomet’s mission.”

crebra cum Christianis et Judæis conversatione, cum esset acer ingenio, utriusque religionis ritus cultusque addidit: et ut ad explenda, quæ jam animo conceperat, nequissimorum sibi spirituum familiaritas et cooperatio non deesset, magicis quoque artibus imbui curavit. Quibus instructus homo mire callidus et facundus, nationi se propriæ, nam Ismaelita erat, ausurus ingentia reddidit: similisque illi malæ bestię de Apocalypsi quæ habebat duo cornua similia agni et loquebatur quasi draco, ut seduceret plurimos innocentię et simplicitatis mendaci specie, pestilentium virus adumbrabat verborum. Denique suæ gentis dominam, (quippe moris erat eam gentem regi a feminis,) ita verbis ad seducendum compositis et nefarię artis præstigiis dementavit, ut eum tanquam summum Dei prophetam coleret atque ejus nuptias exoptaret. Cujus conjugio nactus ejusdem gentis principatum, multo fortius populos seducebat, dum non tantum moverentur reverentia principis verum etiam motum divinum se incur-suros crederent si summo ejus prophetę in aliquo remissius obtemperarent. Quippe in omnibus quæ seductis vel seducendis a se populis præci-piebat, personam tanquam loquentis in se Dei assumens, fallaci verorum imitatione prophetarum præmittebat, "Hęc dicit Dominus." Et quia in traditione sacrę legis scriptum esse noverat, "<sup>1</sup>Locutus est Dominus ad Moysen dicens," ut scilicet divinum non humanum esse intelligeretur quod per hominem tradebatur, ipse quoque suis libris inserendum putavit: "Locutus est Dominus ad Macometum prophetam suum dicens," ut scilicet divinę auctoritatis pondus habere crederetur quod

Richard I.  
History of  
Mahomet.

---

<sup>1</sup> *Locutus est.*] Exodus vi. 10.



Richard I.  
History of  
Mahomet.  
Rise of  
Islamism.

ab eo <sup>1</sup>seductorie fingeatur. Cumque non tantum subditi verum etiam alii plurimi ad eum sponte inclinati, ad ejus in omnibus penderent arbitrium, accensus libidine latius dominandi, sub prætextu propagandæ religionis, tanquam ex præcepto Dei, finitimas gentes bello aggressus est. Et Christianas quidem in Oriente provincias primo invasit: consequenter vero ad Persicæ ditionis terras arma convertit, arte et astu efficiens quod armis minus <sup>2</sup>poterat. Ut autem in omnibus religiosus videretur, subactos populos, patriis ritibus abdicatis, in suam superstitionem quocunque modo traducere studuit, paganis quidem quos subegerat idolatriam inhibens, Christianos vero usque ad sacri nominis exterminium atterens. Hoc modo in Ægypto et Lybia, Mesopotamia et Syria regnis clarissimis, aliisque provinciis Orientis, in quibus olim Christianæ religionis cultus excelluit, usque ad reliquias modicas, prævalentibus Agarenis, defecit. Cumque idem pestifer, dimissus a Deo, secundum desideria cordis sui iret prospere in adinventionibus suis, et juxta formam novissimi antichristi dolus in manu ejus dirigeretur, exco-  
gitato per seductorem spiritum <sup>3</sup>modo quo seductionis virus diffusius spargeret, et seductos a se populos quibusdam quasi sacramentis concorporans fortius irretiret, novas vivendi leges novosque sacrorum ritus astuta vanitate composuit, et ut tanquam divinæ sanctiones suo tanquam prophetico ministerio susciperentur artificiosissime procuravit. Camelum namque elegantis formæ in secretis suis a tenero nutritum, et solis ejus mani-

<sup>1</sup> *Seductorie.*] C. H. L.; se-  
ductore, R.

<sup>2</sup> *Poterat.*] C. H. L.; potuit,

R.

<sup>3</sup> *Modo quo.*] H. L. R.; quo-  
modo, C.



bus assuetum, suspenso ad collum ejus sacrilego codice ante lucem emisit. Qui nimirum insolita libertate gaudens, atque omnium accedentium contactus refugiens, spatiabatur per campos. Fama mox nunciat apparuisse camelum speciosissimum collo gerentem mysteria. Concurrit populus ad inusitatae rei spectaculum; ad ipsum quoque nefariae molitionis artificem res defertur. Egreditur tanquam visurus miraculum. Animal eminus conspecto nutritio, accurrit, et,<sup>1</sup> procumbens, notissimas manus allambit. Acclamat populus clarere prophetae meritum; rogat codicem sacris ejus manibus accipi, et quid in eo mysterii contineretur aperiri. Quo aperto: "Ecce," ait, "hæc est lex scripta non atramento hominis, sed manu angelica, quam genti nostræ Deus omnipotens perpetuis servandam temporibus per hoc animal mittit de cœlo. Hic liber docebit vos quomodo Deum colere, et quanta ab eo pro servata ejus lege sperare debeatis." Hoc modo sub nomine religionis sacrilega cordis sui commenta promulgans, diem quoque quo hæc facta sunt annis singulis statuit esse solemnem, qui a Sarracenis, ut accepimus, Festum Cameli dicitur, atque unius mensis jejunio prævenitur. Sane quoniam Christianas pariter et Hebræas traditiones didicerat, ex utrisque nonnulla propriis figmentis inseruit, ne scilicet omnino inusitata prædicanti vel sancienti fides difficiliter haberetur. Nempe, ut Judæos mulceret, suillæ carnis esum inhibuit; et propter circumcisi suæ gentis patriarcham Ismaelem, circumcisionis ritum admisit. Nostri quoque baptismatis quadam sacrilega imitatione, crebras in aqua singulorum tinc-

Richard I.  
Rise of  
Islamism.

Its character.

---

<sup>1</sup> *Procumbens.*] C. H. L.; omitted R.



Richard I.  
Character of  
Islamism.

tiones membrorum quasi pro expiatione instituit. Illius apostolicæ sententiæ, “<sup>1</sup> Non in comessionibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudiciis,” partem primam amplexus est et docuit: reliquam <sup>2</sup>vero grata lascivis indulgentia relaxavit. Cum enim esset ipse flagrantissimæ libidinis, ne aliter videretur facere quam docere, omnem suis impudicitiam carnalis voluptatis indulsit, impudenter mentiens Deum bonum pro talibus non irasci, atque hac fœda pudendaque licentia animos sibi concilians gentis obscenæ. Gulosos vero atque ebriosos, orbi terrarum graves abominatus, sobrietatem docuit, ciborum delicias sugillavit, vini usum, præterquam paucis certisque diebus solemnibus, interdixit. Inde est, quod cum Sarraceni in fluxu libidinum de sui, ut dictum est, seductoris indulgentia probentur esse spurcissimi; nostris, proh dolor! in frugalitate superiores esse videntur, nobisque, proh pudor! comessionum et ebrietatum sordes improperant. Denique malleus Christiani nominis Saladinus ante annos aliquot, cum, nostrorum mores explorans, audisset quod pluribus in prandio ferculis uterentur, dixisse fertur, ‘tales Terra Sancta indignos esse.’ Unde constat, quod luxus nostrorum conspectus Agarenos, de frugalitate gloriantes, contra nos incitet animetque tanquam dicentes: ‘Deus dereliquit crapulatos istos, persequamur et comprehendamus, quia non est qui eripiat.’ De eodem autem Saladino rem memorabilem, quam a viro veraci audiui, paucis perstringam, quo elucescat quam argutus fuerit ad propriæ sectæ commendationem nostræ religionis sugillator. Præsentati sunt ei aliquando

Narrative  
concerning  
Saladin.

<sup>1</sup> Non.] Romans xiii. 13.

<sup>2</sup> Vero.] H. L. R.; vero partem, C.



duo monachi Cisterciensis ordinis capti a Thurcis prædonibus. Quos ex schemate inusitato intelligens esse de genere philosophantium Christianorum, per interpretem sciscitatus est quinam essent et cujus conditionis vel professionis? Responderunt se esse monachos, regulam beati patris Benedicti professos. Ille de institutis ejusdem regulæ plura percunctatus, cum inter cetera de cælibatu eorum audisset, tandem quæsivit an vinum biberent et carnibus vescerentur? Responderunt se omni tempore certum vini modulum habere ad usum, esum vero carniū non nisi ratione necessitatis seu infirmitatis admittere. Tunc jussit eos indulgentiori custodiæ mancipari, et per duas decentis formæ mulierculas, ad eorum ministerium deputatas, solas eis carnes cum potu aquæ ad victum ministrari. Qui carnibus usi et aqua mandentes, exemplo beati Job <sup>1</sup> pepigerunt fœdus cum oculis suis ut ne cogitarent quidem de turpitudine, sed, sobrietate comite, solliciti pudicitiae suæ custodes orationi vacabant. Quod ubi comperit Saladinus, carnes et aquam piscibus et vino jussit mutari. Et quidem si hoc eo animo fecisset quo a Salomone dictum est: “<sup>2</sup> Date vinum hiis qui amaro sunt animo; bibant et obliviscantur egestatis suæ:” benivole <sup>3</sup> utique actum esset. At insidiabatur callidus, ut simplicitatem arte deluderet, et ex hoc religioni calumniam concinnaret. Vinum ergo sumentes, dum blandientibus <sup>4</sup> mulierculis, tristitiam suam paulo indulgentiori haustu lenirent, illam apostolicam regulam: “<sup>5</sup> Modico

Richard I.  
Narrative  
concerning  
Saladin.

<sup>1</sup> *Pepigerunt.*] Conf. Job xxxi. | omitted R.  
1. <sup>2</sup> *Date.*] Proverbs xxxi. 6, 7. | <sup>4</sup> *Mulierculis.*] H. L. R.; mulieribus, C.  
<sup>3</sup> *Utique.*] H. L.; quidem, C.; | <sup>5</sup> *Modico.*] 1 Timothy v. 23.



Richard I.  
Narrative  
concerning  
Saladin.

vino utere propter stomachum tuum," minime tenuerunt. Nam quod stomacho sat est, hilaritati minus est. Ubi autem cum hilaritate honestatis irrepsit oblivio, Salomonicae de vino sententiae veritas claruit: quippe ingressum est blande, sed "<sup>1</sup>in novissimo momordit ut coluber." Denique inciderunt in feminas id ipsum molientes. Mane, digesto vino et reatu agnito, fleverunt amare, et, lacrimis madidi, producti sunt jubente molitionis artifice. Quibus ait: "Cur solito tristiores estis?" "Quia," inquiunt, "peccavimus graviter vino absorpti." Et ille; "Cum carnibus," inquit, "vescere mini et aquam biberetis, propositum vestrum caute custodistis; porro absque esu carnum vino madentes, regulae vestrae et propositi vestri praevericatores inventi estis; ex quo apparet quod ille vestrae philosophiae auctor Benedictus minus sapiens fuerit, esum scilicet vobis carnum inhibens, quo animi status nequaquam turbatur, et vini vobis usum relaxans, quo etiam integerrimae rationis vigor enervatur, quod tam recenti vestro probatis exemplo. An non ergo prudentior philosophus noster et legislator, qui nobis animi turbatorem vini usum inhibuit, et semper innoxium carnum esum indulxit? Sed quid vobis est expiationis apud vestros cum propositum solvitis? Et illi, "Poenitentia," inquiunt, "et satisfactio, pro arbitrio senioris nostri." "Ergo," inquit, "non potestis apud nos expiari, redite ad vestros pro ritu vestro expiandi." Dimisitque eos libere ad propria reversuros, homo inveterata peste imbutus, et ad sugillandum quod sapere non valebat argutus: ita quidem cum nostris illis visus est ludere, qui tamen magis studuit sanae doc-

---

<sup>1</sup> *In novissimo.*] Proverbs xxiii. 32.



trinae, cujus ignarus erat, illudere, caeca vanitate carpens virum spiritu Dei plenum; de quo, ait beatus papa Gregorius, “<sup>1</sup> quod scripserit monachorum regulam discretione praecipuam, sermone luculentam.” Nam revera praecipuae discretionis fuit quod ad sacram militiam transeuntibus ciborum delicias, quae animum molliunt et resolvunt, curavit restringere, et, juxta formam apostolicam, <sup>2</sup> modicum vini usum, quo et caro infirma refocillatur et animus non gravatur, voluit relaxare. Sane pestifera secta illa, quae nimirum per spiritum erroris et filium illum perditionis, ut dictum est, initium sumpsit, cum plurimas arte et armis auctoris sui provincias infecisset, post mortem tamen ejus, operatione Sathanæ, fortius invaluit, orbisque partem plurimam occupavit. Siquidem pestifer ille in fata vel sero concedens, reliquit discipulos artis et potentiae successores. A quibus postea debellati potentissimi tunc omnium gentium Persæ, cum tota imperii sui latitudine in Arabum ditionem cesserunt, eorumque superstitionem, religionis se nomine, et pietatis <sup>3</sup> se specie adumbrantem, subacti seductique receperunt. Processu vero temporis Agareni, qui et Sarraceni, propagandæ suæ vel ditionis vel superstitionis causa alias orbis partes hostiliter adeuntes, Constantinopolim obsederunt; qua nimirum cum Græciæ Thraciæque provinciis ægre defensa, in Affricam transierunt, et amplissimas in ea Romanæ ditionis provincias, civilibus bellis exhaustas, haud multo negotio ingressi potius quam aggressi eas usque in hodiernum diem cum sacrae religionis exterminio possi-

Richard I.  
Narrative  
concerning  
Saladin.

<sup>1</sup> Quod.] S. Gregor. Dialog. v. 23.  
Lib. ii. Cap. 36. Opera. 1705.

<sup>2</sup> Modicum.] Vide 1 Timothy

<sup>3</sup> Se.] Erased from L.



Richard I.  
Narrative  
concerning  
Saladin.

dent. Nam a tempore Constantini Magni late in Affrica Christiani cultus jura viguerant, et fortissimi fidei nostræ propugnatores, gloriosus scilicet doctor martyrque Ciprianus, et clarissimum Christianæ vas sapientiæ Augustinus ibidem claruerant. Nec tantis successibus contenta gens perfida, Hispaniam, quam ab Affrica medium non multæ latitudinis fretum disternat, pervicaci furore invadens, partem ejus non modicam occupavit, quam spurcissimæ sectæ applicitam possidet usque in præsens. Pyrenæos quoque montes, quibus Hispaniæ Galliæque dirimuntur, transgressa, Gallicam feritatem est aggressa, <sup>1</sup>sperans et molliens, procurrente fortuna, totam Europam, sicut et cetera, in suum jus erroremque convertere. At huic tam undoso mari omnipotens Deus, "<sup>2</sup>cujus judicia abyssus multa," cum voluit, posuit hostia et vectem, et dixit, "<sup>3</sup>Hucusque venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos." Grassanti quippe vesaniæ regni Francorum, deficiente Romano imperio, ad hoc ipsum paulo ante præparati, impenetrabilem opposuit obicem, et non processuri amplius in Hispaniam sunt repulsi. Exposito igitur quomodo Agarenorum nefanda lues a partibus Orientis Affricæ atque Hispaniæ primo irrepserit, quorum diebus nostris obscœna progenies, Orientalium exemplo perfidorum, adversus Christianos in Hispania consistentes novo motu incanduit, ad ordinem historiæ redeamus.

<sup>1</sup> *Sperans.*] H. L. R.; spec-  
tans, C.

<sup>2</sup> *Cujus.*] Psalm xxxvi. 6.

<sup>3</sup> *Hucusque.*] Job xxxviii. 11.

## CAP. XV.

*De rediviva post expletionem induciarum guerra  
regum nostrorum.*



**N**GITUR expleto induciarum tempore, illustres Francorum et Anglorum reges cum nulla ratione foedera pacis susciperent, licet utriusque regni majores seminandæ paci plurimum studuissent, mense Julio totis viribus bellum instaurant. Hujus autem tam infelicitis pervicaciæ causa hæc fuit, quod rex Francorum nullo vel consilio vel honestatis respectu flectebatur ut regi Anglorum ea resignaret quæ de jure ejus, cum in Alemannia teneretur, nullo jure gentium usurparat, et eidem Anglorum regi cum tanta finium suorum mutilatione pacem facere indecorum videbatur. Pace igitur etiam in reliquum desperata, convenere cum suis copiis in vallem quæ Rullii dicitur; quæ vallis non longe a Rothomago aberat, eratque de jure regis Anglorum, sed cum eundem fortuna Alemannica premeret, cum sua munitione inciderat, sicut et alia plurima, in manus regis Francorum. Cumque ibidem uterque exercitus sub meditatione pugnæ per dies aliquot excubaret in castris, intervallo modico atque amne interlabente discretis, visum est regi Francorum, munitione diruta, <sup>1</sup>quod difficulter defendi posse videretur, <sup>2</sup>recedere, viresque integras ad opportunioris

Richard I.  
A. D. 1195.  
War with  
France.

July.

<sup>1</sup> Quod.] C. H. R.; quo, L.

<sup>2</sup> Recedere.] C. H. L.; discedere, R.



Richard I.  
A.D. 1195.

Success of  
king Ri-  
chard.

A truce con-  
cluded.

pugnæ tempus servare. Itaque arcis et mœnibus suffodiendis die noctuque instabat, adversæ interim partis impetum callide suspendens, tractando dolose de pace. Verum rex Anglorum ex repentina suffossæ arcis ruina dolum intelligens, ingenti animo turmas suas ordinabat ad pugnam. Porro Francorum exercitus non expectato pugnæ discrimine abiit, compositis tamen ordinibus, ut prudenter cedere non turpiter fugere videretur. Rex vero Anglorum cum suis copiis amne transmisso cedentibus insistendum non duxit; sed pro tempore incruenta fortuna contentus, reformandæ munitionis studium habuit. Sane rex Francorum, ut accepimus, in hoc bello nihil memorabile gessit. Regi vero Anglorum fortunæ hilarioris favor arripuit. Quippe per stipendiariam militiam, quam Rutas vocant, expugnato et capto Ysouduno cum quibusdam aliis munitionibus, fines suos in Bituricensi provincia egregie dilatavit, Normanniæ damna compensans. Comitem quoque Alvernensem, qui pridem ab ipso desciverat, per eosdem stipendiarios captum, cum suis munitionibus in potestatem redegit. Tunc studio bonorum virorum, cum vindemiales feriæ agerentur, et plurimi qui prius in arma flagraverant jam mollius urerentur, bimestres intervenere induciæ, uti hoc spatio deliberaretur de ipsis induciis, vel in solidam pacem, Deo propitio, convertendis vel saltem in annos aliquot protelandis.

## CAP. XVI.

<sup>1</sup> *Quomodo rex Anglorum de nece marchionis purgatus sit per litteras Senis Montani.*



IS diebus ad Europæ principes epistolæ Senis Montani venerunt: sic enim non pro ætate sed quasi pro sapientia et gravitate per successiones se nuncupat princeps cujusdam gentis Orientalis, quam Hansesisios vocant. Cujus principis vel gentis supra plenius notitiam fecimus, cum interitum Conradi marchionis de Monte-Ferrato, qui ab eis interfectus creditur, exponeremus. Erant autem eadem epistolæ scriptæ litteris Ebraicis, Græcis et Latinis, erantque scriptæ non atramento, sed re multum inusitata, sanguine scilicet muricis, sicut ipsæ indicabant. Has nimirum se vidisse atque legisse vir fide dignus mihi protestatus est, cum regi Francorum Parisius constituto solemniter fuissent oblatae, quarum contentia hæc erat: "Vetus de Monte principibus et omni populo Christianæ religionis salutem! Quoniam audivimus illustri Anglorum regi Ricardo necem marchionis de Monte-Ferrato a pluribus imputari, tanquam ejus machinatione ob quandam inter eos exortam simultatem interfectus sit, cum uterque esset in Orientis partibus constitutus; nostræ honestatis interest ad purgandam ejusdem regis famam falsi criminis suspicione denigratam, hujus rei veritatem, quæ hactenus penes nos latuit,

Richard I.  
A. D. 1195.  
Letter from  
the Old Man  
of the Moun-  
tain excul-  
pating king  
Richard  
from the  
murder of  
the marquis  
of Mont-  
ferrat.

<sup>1</sup> *Quomodo . . . purgatus sit.*] et quomodo purgatus sit rex  
H. L. R.; De nece marchionis | Anglorum, C.



Richard I.  
A.D. 1195.

Letter from  
the Old Man  
of the Moun-  
tain excul-  
pating king  
Richard  
from the  
murder of  
the marquis  
of Mont-  
ferrat.

declarare. Nolumus alicujus innocentiam nostri operis occasione laborare, cum nulli immerito et insonti mali quippiam irrogemus, eos vero qui in nos deliquerint, Deo auctore, non patimur diu de illatis simplicitati nostræ injuriis gratulari. Significamus igitur universitati vestræ, Ipsum testantes per quem salvari speramus, quod nulla memorati regis machinatione marchio ille interfectus sit: qui, profecto, pro eo quod in nos deliquerat, et admonitus emendare neglexerat, nostra voluntate et jussione per satellites nostros juste interiit. Consuetudinis quippe nostræ est eos qui nobis vel amicis nostris in aliquo injuriosi extiterint, primo ut nobis satisfaciant commonere; quod si contempserint, per ministros nostros, qui tanta nobis devotione obtemperant ut se a Deo gloriose remunerandos esse non dubitent si mandatum nostrum exsequendo occumbant, severitatem ultionis expetere. Audivimus etiam de prænominato rege vulgatum, quod nos tanquam minus integros et constantes induxerit ut de nostris aliquos regi Francorum insidiaturos emitteremus. Quod proculdubio falsum et vanissimæ suspicionis<sup>1</sup> commentum est; cum nec ipse, Deo teste, tale aliquid circa nos attentaverit, nec nos homini immerito malum moliri respectu honestatis nostræ sineremus. Bene valete." Has denique litteras cum coram se solemniter recitatas rex Francorum audisset, dixisse fertur regem Anglorum de tam infami nota præclare purgatum; seque cum illo haud difficulter de cetero posse foederari, cum in eum nulla alia causa fortius quam concepta suspicionem de nece amicissimi marchionis exarserit.

<sup>1</sup> *Commentum.*] C. H. R.; conventum, L.



Hæc dicens causam subticuit, qua nimirum propensius eo tempore ad ineundum cum rege Anglorum foedus movebatur. Quippe, ut dicitur, ad germanæ ejus, <sup>1</sup>quæ Siculi regis compar extiterat, nuptias aspirabat, quibus tamen potitus non est; plures enim feminae nobiles, recens Dacæ puellæ, cui post unam noctem initi foederis turpiter abjectæ cum multo scandalo libellum repudii dederat, exemplum verentes, ejus aspernabantur conjugium. Denique præter filiam comitis palatini, de qua superius memoratum est, etiam alterius nobilissimæ virginis de imperio Teutonico exoptatis expectatisque fraudatus est nuptiis hoc modo. Cum eam alius vir potens expetisset, parentibus regiam magis petitionem admittentibus, ad Franciam pompaticè ducebatur, transiensque per fines præcipuæ prioris, ejus se manibus sponte injecit; a quo volens retenta et solemniter ducta, regia vota delusit. <sup>2</sup>Præterea rex Dacorum, repudiatae sororis dedecus ægre ferens, divortium non rite celebratum sed concinnatum mendaciter in gratiam regis Francorum, per responsales idoneos in audientia sedis apostolicæ, allegavit, et digesta præcedentium temporum serie, se astruens reges Francorum et Dacorum nulla se consanguinitate vel affinitate contingere, de concinnato in fraudem divinæ sanctionis divortio judicium fieri pertinaci instantia postulavit. Verum id frustra: cum regis Francorum vel metus vel gratia plus valeret. Denique postmodum idem rex absque omni vel divini timoris vel ecclesiastici vigoris obstaculo,

Richard I.  
A. D. 1195.

Marriage of  
king Philip.

<sup>1</sup> *Quæ.*] H.; qui, MSS.

<sup>2</sup> *Præterea.*] A council was held in Paris in the year 1196,

to decide upon the validity of king Philip's marriage with the princess Ingeburga of Denmark.



Richard I.  
A. D. 1195.

cujusdam ducis <sup>1</sup>Teutonici filiam duxit uxorem: si tamen uxorem, cum pellex potius fuisse videatur, et superducta magis quam ducta.

## CAP. XVII.

*De bellico post inducias motu regum, et quomodo apud  
Ysoudunum fœdus inierunt.*



INITIS <sup>2</sup>igitur induciis cum corda regum ad concordiam facile emolliri posse crederetur, causis rursum ingrauescentibus, eorum, instigante diabolo, redivivus furor excanduit, elanguitque omnis spes pacis. Erat autem hiems, et Dominici natalis solemnis expectatio, quæ adventus Domini dicitur, erat in januis. At neque rigor neque religio temporis quicquam adversum malitiam nocendi avidam valuit, rapinis, cædibus, incendiis populus atterebatur Christianus, poteratque apud dominum dominorum de suis principibus justissime conqueri et dicere, “<sup>3</sup> Quem tu percussisti persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.” Eo namque tempore sub disciplina Domini desudabat, et “<sup>4</sup> nondum aversus erat furor Domini, sed adhuc manus ejus extenta.” Denique famis validæ, quæ totam fere premebat Europam, annus jam tertius duobus præcedentibus gravior agebatur. Cum ergo hinc inde hostilis immanitas debacchari cœpisset, rex Francorum, explorato quod rex Anglorum alias

Famine  
throughout  
Europe.

<sup>1</sup> *Teutonici.*] Agnes, daughter of Berthold IV. duke of Meran.

<sup>2</sup> *Igitur.*] C. H. R.; ergo, L.

<sup>3</sup> *Quem.*] Psalm lxix. 26.

<sup>4</sup> *Nondum.*] Isaiah v. 25.

esset intentus, Ysoudunum oppidum obsedit, sperans se eo expugnato potiturum, antequam hostis remotior posset occurrere: sed spe sua frustratus est, invenit enim oppidum cibus armisque sufficienter munitum. Cumque muris imminens, ut defensoribus terrorem incuteret, se non inde nisi expugnato oppido discessurum petulanti vanitate juraret, viri virtutis stantes super murum, clara fiducia, ut dicitur, non sunt cunctati jurare in contrarium. Fit per dies aliquot oppugnatio vehemens, sed oppugnantibus damnosa magis. Interea rex Anglorum, accepto nuncio, impiger advolat, jussas sequi copias cum expeditioribus antecedens. Oppidum securus ingreditur, obsessore nec saltem attentante illi prohibere ingressum, sed potius adornante discessum. Mox turmas ad <sup>1</sup>pugnam dispositas ingenti animo educit in campum. <sup>2</sup>Francis vero, <sup>3</sup>quod se viribus impares cernerent, <sup>4</sup>animi elanguere. Poterat sane dies illa longi certaminis declarare victorem, nisi Francorum sibi prudentia cautius prospexisset. Cum enim ad dimicandum minus sufficerent, et fugam ingenue detrectarent, hostem quoque ferocem, si forte vel cum fugæ dedecore tentarent evadere, in propriis finibus a tergo urgentem vix possent effugere, Dominum suum salubriori consilio impulere ut vel in arcto positus certo belli discrimine declinato honestam dignaretur pacem amplecti; qui nimirum in sui exercitus, qui facies conversas tanquam recedens habebat, extremo agmine erat, quod fortius cautiusque instructum erat contra faciem insequentis. Porro rex Anglorum in fronte

Richard I.  
A. D. 1195.

Philip besieges Issoudun.

<sup>1</sup> *Pugnam.*] C. H. L.; pug-  
nandum, R.

<sup>2</sup> *Francis.*] H. L.; Franci,  
C. R.

<sup>3</sup> *Quod.*] C. H. L.; cum, R.

<sup>4</sup> *Animi.*] C. H. L.; animis,  
R.



Richard I.  
A. D. 1195.

Peace con-  
cluded.

Dec. 5.

sui exercitus gradiebatur. Cujus colloquium cum rex Francorum per viros nobiles expetisset, sicut erant armati in equis occurrerunt sibi mutuo inter duos exercitus modico intervallo distantes, et colloquii exitum stando præstolantes. Itaque soli absque arbitris diuscule collocuti, in conspectu utriusque exercitus capitibus exarmatis sese in mutuos dedere amplexus. Concordiam principum ingens incruentorum exercituum lætitia sequitur; pacis dulce nomen sonoris vocibus inculcatur. Facta sunt hæc, Deo propitio, nonas Decembris: et populi cum gaudio rediere in sua, intentionem bellicam ad pacis studia et Dominici natalis in proximo celebranda solemnia convertentes. Principes vero formam pacis, quam inter se secreto <sup>1</sup>statuerant, apud se continebant, suo tempore declarandam. Quippe non poterant, prout decebat, ad tantæ rei confirmationem, nisi jam expletis natalis Dominici gaudiis, iterum solemniter convenire.

### CAP. XVIII.

*Quomodo principes fœdus initum <sup>2</sup>declararunt, quod diu <sup>3</sup>non stetit; et de motu Britannico.*

A. D. 1196.  
January.



ANNO a partu virginis M. C. nonagesimo sexto, jam ingresso mense Januario, iidem principes cum magna nobilium frequentia in terrarum confiniis ad solemne <sup>4</sup>colloquium convenere; ubi

<sup>1</sup> Statuerant.] H. L. R.; constituerant, C.

<sup>2</sup> Declararunt.] C. H. L.; declarunt, R.

<sup>3</sup> Non.] C. H. L.; omitted R.

<sup>4</sup> Colloquium.] The articles of peace may be seen in Rymer, *Fœdera*, i. 66.

declaratum est et consensu publico confirmatum quod inter se sub clypeo egerant. Rex enim Francorum resignavit regi Anglorum <sup>1</sup>Archas, <sup>2</sup>Augum, <sup>3</sup>Albemarlam, <sup>4</sup>Castellum Novum, et cetera quæ de jure ejus tempore Alemannicæ detentionis usurparat, excepto Gisortio cum quibusdam aliis castellis, pro quibus, rege Anglorum connivente, retentis, rex Francorum sponte remisit regi Anglorum quicquid de jure ejus sorte bellica occuparat, scilicet burgum Turonense, beati Martini corpore insigne, Isoudunum oppidum, aliasque sive in Bituricensi sive in Alvernensi provincia munitiones plurimas. Statuta quoque poena prævaricatoris pactorum, caute provisum est ne quod in posterum inter principes scandalum oriretur. At omnis cautela minor fuit ad pacis propositum solidandum, uti post modicum claruit. Denique rex Francorum, poenitentia ductus, et succensens suis qui pacis ei consilium dederant, ad rescindendam quam tenendam pacem proclivior fuit. Rex quoque Anglorum pro suorum finium vel modica mutilatione nulla compensatione contentus, irritandi regem Francorum ut pacem infringeret, ex ipsa, ut dicitur, præscriptæ pacis formula occasionem artemque invenit. Rursus ergo bellicæ intentionis inter principes rabies exarsit, cujus tamen motibus vel Quadragesimalis et Paschalis religio temporis, vel solito major et diuturnior inclementia aeris, vel fames per provincias supra modum desæviens obstitit, ut iidem principes ami-

Richard I.  
A. D. 1196.  
Articles of  
the peace.

Famine.

<sup>1</sup> *Archas.*] Arques, in the department of the Lower Seine.

<sup>2</sup> *Augum.*] Eu, a sea-port, about fifteen miles north of Dieppe.

<sup>3</sup> *Albemarlam.*] Aumale, in the department of the Lower Seine.

<sup>4</sup> *Castellum Novum.*] Château-neuf.



Richard I.  
A. D. 1196.

King Richard demands the guardianship of the young prince Arthur, which the Bretons refuse.

cis suadentibus refractum pro tempore furorem suspenderent, et tempus quo solent reges ad bella procedere, mediantibus induciis, expectarent. Acuebat autem regem Francorum ad experiendam iterum belli fortunam tumultuantium eo tempore contra regem Anglorum turbatio Britonum, qui puerulum sibi Arturum sub magno hujus nominis omine nutriebant. Cum enim idem rex ejusdem nepotis sui tunc decennis usque ad annos legitimos tutelam exposceret, quo sibi Britanniam adversus casus externos arctius obligaret, primi Britonum quadam magis suspicione quam cautela id ipsum non ferentes, et pro ipso puero fortiter æmulantes, cum eo a facie patruī imminentis ad interiora Britanniae secesserunt. Verum hujus Britannici tumultus progressus et exitus suo loco plenius exponetur.

## CAP. XIX.

*De improvisa morte abbatis <sup>1</sup> Cadomensis in Anglia.*

The abbat of  
Caen visits  
England.



**C**ISO tempore rex Ricardus de partibus transmarinis misit in Angliam abbatem Cadomensem, indulta ei potestate in his quæ fisco competent subtilius atque districtius exquirendis. Erat autem idem abbas mediocriter quidem litteratus, sed in temporalibus egregie prudens atque eloquens. Prudens, inquam, juxta illud, “<sup>2</sup> Filii hujus seculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua.” Quippe ex claustrali

---

<sup>1</sup> Cadomensis.] C. H. R. ; | <sup>2</sup> Filii.] Luke xvi. 8.  
Cadonensis, L. hodie Caen.

disciplina assumptus ad monasterii regimen, cum juxta apostolum “<sup>1</sup> Nemo militans Deo implicet se negotiis secularibus,” actionem muneris secularis subterfugiendo lucis esse filius debuit: quam utique ambiendo et amplectendo, filium se hujus <sup>2</sup>seculi declaravit, dum vel minus attenderet, vel nollet intelligere ut bene ageret quantum peccatrix illa actio a professione monachi et abbatis officio discreparet. Denique frequentibus obsequiis nactus amicitiam principis, sub prætectu fidei et devotionis, ut dicitur, suggerendum ei putavit, fraude officialium regionum ærario ejus plurimum deperire: qua nimirum deprehensa et castigata, absque omni provincialium gravamine duplicia posse fisco accedere. Quibus verbis princeps aurem libenter accommodans, rogavit eum hanc operam sumere, et potestate præditum in Angliam transfretare. Ille regiam vel petitionem vel jussionem devote amplexus, monasterii cura postposita, venit Lundonias, Cantuariensi archiepiscopo, qui regni curam gerebat, et regiam voluntatem et suam in executione voluntatis regiæ potestatem intimavit. Quæ nimirum licet idem Cantuariensis minus approbaret, refragandum tamen non duxit quo minus ille exsequeretur injunctum. Mandato igitur regio per universam Angliam discurrente uti provinciarum præsides ad diem certum Lundonias occurrerent, de administrationibus suis rationem coram memorato abbate reddituri, ipse interim gloriosus et potestatem ostentans Quadragesimali tempore sedit Londoniis, Paschalia gaudia non visurus, nec cum eis quos evocaverat rationem post Pascha posi-

Richard I.  
A. D. 1196.  
The abbat of  
Caen visits  
England.

<sup>1</sup> Nemo.] <sup>2</sup> Timothy ii. 4. | <sup>2</sup> Seculi.] C. H. L.; lucis, R.



Richard I.  
A. D. 1196.  
The abbat of  
Caen visits  
England.

His death.

turus, sed ante Pascha rationem superno judici de propriis actibus redditurus, quanto paratior ad rationem cum aliis ponendam tanto imparatior ad rationem pro se reddendam. Paucis quippe diebus elapsis postquam Angliam <sup>1</sup>introiit, de mundo exiit. Porro illi qui introitum ejus <sup>2</sup>expaverunt, exitum ejus non fleverunt.

## CAP. XX.

*De conjuratione Lundoniis facta per quendam Gwilelmum, et quomodo idem pœnas audaciæ luit.*

William  
Fitz-Osbert  
surnamed  
Longbeard.



ANE Lundoniis inter memorati abbat-  
tis exitum, et cujusdam qui nuper  
emerserat grandia molientis exitium,  
pauci admodum fluxere dies. Neuter  
enim fatis urgentibus Paschalia gau-  
dia vidit, dum sors extrema modico intervallo  
divideret qui similitudine vel causæ vel propositi  
consonare videbantur. Abbas enim, ut commoda  
regia cum quiete provincialium quæreret, fraudem  
atque effrenem avaritiam officialium regionum cas-  
tigandam esse <sup>3</sup>censebat. Iste vero, cum civis  
esset Lundoniensis, sub obtentu quasi fidelitatis  
regiæ, causam se agere pauperum civium contra  
insolentiam divitum astruebat; fortiter allegans,  
nam facundissimus erat, quod ad omne edictum  
regium divites, propriis fortunis parcentes, pau-  
peribus per potentiam omne onus imponerent, et  
ærarium principis multa summa fraudarent. Hic

<sup>1</sup> Introiit.] H. L. R.; intra- | paverant, R.  
vit, C.

<sup>2</sup> Expaverunt.] C. H. L.; ex- | <sup>3</sup> Censebat.] H. L. R.; cen-  
suit, C.

nimirum Londoniis oriundus Gwillelmus dicebatur, agnomen habens a barba prolixa, quam ideo nutriebat ut hoc quasi insignis in cœtu et concione magis conspicuus appareret. Qui cum esset ingenio acer, mediocriter litteratus, eloquens supra modum, innata quadam animi et morum petulantia nomen sibi grande facere volens, moliri nova et audere ingentia cœpit. Denique inhumana et impudens actio ejus in proprium germanum, signum est vesaniæ nequitiaeque ejus in ceteris. Erat enim ei frater senior <sup>1</sup>ejus Londoniensis: a quo, dum scholis vacaret, consueverat ad usus necessarios petere atque percipere solatia sump-tuum. Cumque jam grandior atque in expensis profusior ea sibi quereretur remissius ministrari, quod precibus minus poterat, comminationum terroribus tentavit elicere. Ubi hoc frustra tentatum, eo quod frater circa domus suæ curam occupatus illi satisfacere minus sufficeret, tanquam in ultionem suam sæviens exarsit in scelus. Post tanta quippe fratris beneficia fraterni sanguinis sitiens, proditionis regiae crimen illi opposuit. Aditoque principe, cui se pridem vel arte vel obsequio commendarat, quod frater suus in animam ejus conjurasset coram eo proposuit, tanquam suam in hac re circa principem devotionem declarans, qui nec fratri pro fide ejus parceret. At hoc derisum est a principe, inhumanissimi hominis malitiam forsitan exhorrente, et tanta naturæ injuria jura pollui non sinente. Hic nimirum, favore quorundam nactus in urbe locum aliquem inter magistratus, cœpit paulatim concipere dolo-rem et parere iniquitatem. Quippe duobus magnis

Richard I.  
A. D. 1196.  
History of  
Longbeard.

---

<sup>1</sup> *Ejus.*] H. L.; civis, C. R.



Richard I.  
A. D. 1196.  
History of  
Longbeard.

He raises a  
conspiracy of  
the poorer  
citizens of  
London  
against the  
higher or-  
ders.

vitiis stimulantibus, superbia scilicet atque invidia, quarum prima est appetitus excellentiæ propriæ, secunda vero odium felicitatis alienæ, quorundam civium sive optimatum, quibus se imparem esse cernebat, fortunas gloriamque non ferens, dum aspiraret ad grandia, sub prætextu justitiæ et pietatis in ausus impios conspiravit. Denique clandestina opera et venenatis <sup>1</sup>susurris apud plebem insolentiam divitum et potentum per quam ipsi indigne tractarentur, sugillans, inopesque et mediocres ad immoderatæ libertatis et felicitatis amorem inflammans, adeo sollicitavit plurimos et quibusdam quasi præstigiis fascinos ita sibi devinxit, ut ad ejus in omnibus nutum penderent, ipsi, tanquam omnium provisor, quæcunque juberet, incunctanter in omnibus obtemperare parati. Facta igitur Lundoniis tanquam zelo pauperum contra insolentias potentum conjuratio valida. Fuisse autem fertur conjuratorum civium numerus, ascriptis ut postea claruit penes ipsum nefariæ molitionis artificem nominibus singulorum, quinquaginta duo milia. Ferramentorum quoque ingens copia ad <sup>2</sup>effringendas domos munitiores præparata penes eundem rejacebat, quæ postea reperta malignissimæ machinationis argumentum fuit. Tanto itaque fretus conscriptorum numero, tanquam zelando pro plebe pauperum, et nihilo minus sub prætextu regii commodi, cœpit in omni cœtu nobilibus in faciem resistere, quod eorum fraude fisco plurimum deperiret potenti eloquio allegare. Cumque propter hoc contra eum indignarentur et fremerent, deploraturus apud principem quod pro ejus fide potentum inimicitias atque

<sup>1</sup> *Susurris.*] *Susurriis*, MSS. | <sup>2</sup> *Effringendas.*] H. L. R. ;  
| *infringendas*, C.



calumnias pateretur, transfretandum putavit. Reversusque ad suos, calliditate solita cœpit de cetero, tanquam regio favore subnixus, fiducialius agere, et proprios complices fortius animare. Cumque jam initæ conspirationis suspicio rumorque crebrescerent, dominus Cantuariensis, cui principaliter regnum erat commissum, non ulterius dissimulandum ratus, convocatam plebem blande alloquitur, natos rumores replicat, ad omnem <sup>1</sup>sinistram suspicionem tollendam obsides pro fide domino regi et pace servanda dari monet. Blandiloquio ejus populus placatus obtemperat, obsides dantur. Nihilominus homo ille cœptis insistens, vallatus turbis pompaticè procedebat, conventus publicos auctoritate propria faciebat, regem se vel salvatorem pauperum arroganter vocitans, et frenandam a se in brevi perfidorum insolentiam granditer intonans. Sane ex eo quod viri veracis narratione didici, dicentis se ante dies aliquot concioni ejus interfuisse et concionantem audisse, fastus sermonum ejus elucet. Sumpto enim vel themate vel testimonio de scripturis sacris, ita exorsus est: “<sup>2</sup>Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.” Quod ad se derivans: “Salvator,” inquit, “pauperum ego sum. Vos pauperes duras divitum manus experti, haurite de fontibus meis aquas doctrinæ salutaris, et hoc cum gaudio: quia venit tempus visitationis vestræ. Ego enim dividam aquas ab aquis. Aquæ populi sunt. Dividam populum humilem et fidelem a populo superbo et perfido: dividam electos a reprobis, ut

Richard I.  
A. D. 1196.  
History of  
Longbeard.

<sup>1</sup> *Sinistram.*] C. H. L.; omitted R.

<sup>2</sup> *Haurietis.*] Isaiah xii. 3.

From this it appears that by means of a text Longbeard disguised his political harangues under the form of a sermon.



Richard I.  
A. D. 1196.  
History of  
Longbeard.

lucem a tenebris." Itaque cum datum illi esset os loquens ingentia, habensque cornua similia agni loqueretur ut draco, memoratus regni moderator de consilio procerum evocavit eum satisfactorum de objectis. Qui opportune affuit turbis ita vallatus, ut evocator ejus territus mollius ageret, et pro declinando periculo caute judicium protegeret. Explorato igitur per duos cives nobiles tempore quo inveniri posset sine turbis, præsertim jam cum populus propter periculum obsidum quietius ageret, cum eisdem civibus ad capiendum eum armatam manum emisit. Quorum unum propius insistentem ipse arrepta bipenni mactavit; alterum vero quidam ex assistentibus ei trucidavit. Illico cum paucis suorum et concubina inseparabiliter adhærente in vicinam ecclesiam beatæ Mariæ, quæ dicitur de <sup>1</sup>Archis, confugit, eaque ad tempus non tanquam asylo sed tanquam castello tueri se <sup>2</sup>vult, frustra sperans populum mature affuturum; qui nimirum et si de ipsius periculo doluit, tamen vel respectu obsidum vel metu loricatæ multitudinis ad ereptionem ejus non accurrit. Audito enim quod ecclesiam occupasset, militares eo copias ex vicinis paulo ante provinciis accersitas regni administrator direxit. Jussus ergo egredi et judicio sisti, ne locum orationis speluncam latronum facere videretur, conjuratorum accursum frustra expectare maluit, donec oppugnata ecclesia igne et fumo cum suis egredi cogeretur. Egredienti autem filius civis quem peremerat prior occurrens, in ultionem paterni sanguinis cultro illi ventrem dissecuit. Captus itaque et juri exhibitus, judicio Curiae regiae prius

---

<sup>1</sup> Archis.] St. Mary-le-Bow. | <sup>2</sup> Vult.] H.L.R.; coepit, C.

equis distractus ac deinde patibulo <sup>1</sup>appensus est cum sociis novem qui illi deesse noluerant. Sic juxta quod scriptum est: "<sup>2</sup>Qui fodit foveam, incidet in eam; et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber," tantorum incentor artifexque malorum dictante justitia periit, et nefariæ conspirationis cum suo auctore rabies expiravit. Et illi quidem quibus sanior cautiorque mens fuit lætati sunt cum viderent vel audirent vindictam, lavantes manus suas in sanguine peccatoris. Porro conjurati et novarum aucupes rerum extinctum planxere vehementer, disciplinæ publicæ circa eum vigori derogantes, et regni provisorem tanquam homicidam pro supplicio pestilentis et homicidæ lacerantes.

Richard I.  
A. D. 1196.  
History of  
Longbeard.  
He is executed as a  
traitor.

## CAP. XXI.

*Quomodo vulgus <sup>3</sup>voluerit hominem illum tanquam martyrem honorare, et quomodo error iste extinctus sit.*



QUANTUM autem homo ille audendo et moliendo ingentia animos sibi <sup>4</sup>conciliaverit improborum, et quantum etiam sibi plebem devinxerit tanquam pius et providus pro ea æmulator, etiam post interitum ejus claruit. Quippe ut ab eo puniti per leges dedecus conjuratoris abster-

<sup>1</sup> *Appensus.*] Compare the spirit in which this narrative is written with that of Matthew of Paris, who tells us that these men were executed "pro assertionem veritatis, et pro causa pau-

perum tuenda."

<sup>2</sup> *Qui.*] Ecclesiastes x. 8.

<sup>3</sup> *Voluerit.*] H. L. R.; voluit, C.

<sup>4</sup> *Conciliaverit.*] H. L. R.; conciliaverat, C.



Richard I.  
A.D. 1196.  
History of  
Longbeard.

He is venerated as a  
martyr by  
the people.

gerent, et damnatores ejus impios <sup>1</sup>comprobarent, arte illi martyris nomen et gloriam quæsierunt. Denique, ut fertur, quidam sacerdos propinquus ejus catenam qua vinctus fuerat febricitanti <sup>2</sup>superposuit, et salutem mox consecutam impudenti vanitate confinxit. Quo vulgato, <sup>3</sup>populus insipiens hominem digna <sup>4</sup>passum pro justitia et pietate occubuisse credidit, et tanquam martyrem venerari cœpit. Patibulum quo suspensus fuerat ut in occultis honori haberetur, de loco supplicii furto nocturno sublatum est, terra quoque supposita, tanquam sanguine consecrata suspensi, veluti aliquod sacrum in usus curationum usque ad fossam non modicam per minutias a fatuis est abrasa. Fama mox late dispersa, stultorum, "quorum," ut ait Salomon, "infinitus est numerus," et curiosorum greges confluebant ad locum; quibus nimirum aggregabantur qui forte ex diversis Angliæ provinciis propriis pro negotiis Lundonias adventassent. Excubabat itaque ibidem jugiter insulsa multitudo, quantum honoris defuncto impendens tantum etiam criminis illi per quem absumptus videbatur impingens. Tantumque invaluit error vanissimus, ut etiam prudentes, tanquam fascinatos rumoribus, irretire potuisset, nisi ea quæ de homine illo compererant cautius ad memoriam reduxissent. Excepto enim eo quod paulo ante exitium, ut supra expositum est, homicidium per-

<sup>1</sup> *Comprobarent.*] C. H. L.; comprobaret, R.

<sup>2</sup> *Superposuit.*] C.H.R.; superposuit, L.

<sup>3</sup> *Populus insipiens.*] Matthew of Paris regarded them in a different light, "If," says he, "the cause constitutes the martyr, no

one better deserves that title than Longbeard." (Cum constet causam martyrem facere, inter martyres videtur merito computandus.)

<sup>4</sup> *Passum.*] C. H. R.; omitted, L.



petravit, quod utique vel solum ad hoc, ne pro martyre propter supplicium haberetur, cordato cuilibet sufficere debuisset, ipsius sub ipsa morte confessio eorum frontes qui talem sibi martyrem fecerunt, justo si haberent in corpore sanguinem, debuit rubore perfundere. Quippe, ut a viris fide dignis accepimus, in ipso supplicio quo absumptus est, cum a quibusdam moneretur vel sero humili peccatorum confessione dare gloriam Deo, confessus est se ecclesiam illam quam a facie insequentium cum propria concubina fuerat ingressus, in illa mora, quam ibidem sub inani expectatione auxilii fecit, semine polluisse: et quod longe majus est, ipsoque dictu horrendum, cum jam hostes nullo subveniente irrumperent, negato Mariæ filio quod eum <sup>1</sup>non liberaret, diabolum ut vel ab ipso liberaretur invocasse. Inficiabantur quidem <sup>2</sup>hæc justificatores ejus, atque in præjudicium sui martyris maligne conficta dicebant. Porro hanc litem diremit fabricatæ vanitatis in brevi occasus. Veritas quippe solida est et tempore convalescit, concinnata vero falsitas nil habet solidum sed in brevi evanescit. Igitur regni administrator in sacerdotem illum, qui totius superstitionis caput extiterat, digna ecclesiasticæ severitatis præeunte vindicta, armatorum globum emisit, qui et rusticam multitudinem fugarent, et si qui forte ibidem persistendum ducerent, comprehensos regio carceri manciparent. Armatam quoque in ipso loco custodiam jugiter observare præcepit, quæ non solum ad supplicationes adveniens vulgus arceret insulsum, verum etiam curiose divertentium inhiberet accessum. Cumque hoc per dies

Richard I.  
A. D. 1196.  
History of  
Longbeard.

---

<sup>1</sup> Non.] C. H. L.; omitted, | <sup>2</sup> Hæc.] C. H. L.; omitted,  
R. | R.



Richard I.  
A. D. 1196.

non multos fieret, tota illa concinnatæ superstitionis machina funditus concidit, et popularis opinio conquievit.

## <sup>1</sup>CAP. XXII.

*De prodigio mortui post sepulturam oberrantis.*

Legend of a  
dead man  
wandering  
out of his  
tomb.



May 29.

IS diebus in pago Bukinghamensi prodigiosa res accidit: quam prius a quibusdam ex parte, postea vero a venerabili archidiacono illius provinciae Stephano plenius didici. Quidam in fata concedens, juxta morem, honesta uxoris et propinquorum cura, in vigilia Dominicæ Ascensionis sepulturæ est traditus. Sequenti vero nocte cubiculum uxoris quiescentis ingressus, excitatam non solum terruit verum etiam pene obruit importabili sui pondere superjecto. Altera quoque nocte attonitam pari modo afflixit. Territa periculo mulier adversus tertiæ noctis agonem et deinceps tuto se vigilum consortio munire insomnis ipsa curavit. Affuit tamen ille: sed pulsatus exclamationibus vigilum, cum nocere non posset, abiit. Sic repulsus a conjuge, fratres proprios in eodem vico habitantes similiter fatigavit. Illi vero, juxta muliebris cautelæ exemplum, parati ad excipiendum repellendumque periculum, noctes cum suis ducebant insomnes. Aderat tamen ille tanquam desiderans præoccupare somnolentos: sed repulsus sollicitudine et virtute vigilum, inter animalia quæ vel in domibus vel

<sup>1</sup> Cap. XXII.] Cap. XXII. to Cap. XXVI. inclusive are omitted from R.

circa domos erant debacchabatur, quod ipsorum animalium efferatio et motus insoliti declarabant. Tunc amicis quoque et vicinis pari molestia gravis, eandem omnibus necessitatem nocturnæ sollicitudinis ingerebat. Erantque jam in ipso vico per omnes domos vigiliæ generales, dum singuli ad improvisum essent ipsius accessum suspensi. Cumque aliquamdiu hoc modo solis fuisset noctibus debacchatus, luce quoque diurna oberrare cœpit, formidabilis quidem omnibus sed visibilis quibusdam. Plerumque enim pluribus occurrens, uni tantum vel duobus conspicuus erat, cum tamen et ceteros ejus præsentia non lateret. Pavefacti homines supra modum, consilium ab ecclesia quaerendum duxerunt: remque integre ad memoratum archidiaconum conventui sacerdotum solemniter præsentem cum questu lacrimabili detulerunt. Qui confestim venerabili episcopo Lincolniensi, Lundoniis tunc constituto, cuncta per ordinem scripto insinuans, ejus in re tam inusitata sententiam et auctoritatem merito censuit expectandam. Episcopo vero stupente super hoc, et subtilem habente tractatum cum suis, fuere qui dicerent talia sæpius in Anglia contigisse et crebris clarere exemplis, quietem populo dari non posse nisi miserrimi hominis corpore effosso et concremato. Indecorum nimis atque indignum hoc visum est venerando pontifici: moxque cartulam absolutio-  
nis manu sua conscriptam archidiacono dirigens, ut quomodo illius hominis se corpus haberet oculata fide claresceret, sepulchrum ejus aperiri, et  
<sup>1</sup>supposita pectori ejus eadem cartula, rursum claudi præcepit. Aperto ergo sepulchro, corpus

Richard I.  
A. D. 1196.  
Legend of a  
dead man  
wandering  
out of his  
tomb.

---

<sup>1</sup> *Supposita.*] H. L. ; superposita, C.



Richard I.  
A.D. 1196.

He is laid.

ita inventum est sicut ibidem fuerat collocatum; pontificalis vero absolutionis cartula pectori ejus apposita, et clauso rursum sepulchro, nec oberare deinceps visus est, nec alicui molestiam vel terrorem inferre permissus.

### CAP. XXIII.

*De re consimili quæ accidit apud Berewic.*

Similar occurrences at  
Berwick,



N aquilonalibus quoque Angliæ partibus aliud non dissimile et æque prodigiosum eodem tempore novimus accidisse. Est vicus nobilis, ad ostium Tuidi fluminis, qui Berewic dicitur de jure regis Scottorum. Ibi quidam vir pecuniosus, sed pessimus, ut postea plenius clauit, post fata sepultus, operatione, ut creditur, Sathanæ, noctibus egrediebatur ex tumulo, et canum cum ingenti latratu, prosequente turba, huc illucque ferebatur, et multo cunctis accolis terrore incusso, ante lucem tumulo reddebatur. Cumque hoc per dies fieret plurimos, et nullus jam auderet post vesperum foris inveniri, dum omnes exitialis monstri formidarent occursum, quidnam agendum esset necessarium inter se majores simul et mediocres habuere tractatum, metuentes scilicet simpliciores ex ipsis, si forte negligentius ageretur, ab exanimi prodigio maturius sugillari; prudentiores vero caute reputantes ne forte, tardante remedio, <sup>1</sup>ex crebro pestiferi cadaveris <sup>2</sup>circumactu infectus corruptusque aer,

<sup>1</sup> *Ex.*] H. L.; omitted C.

<sup>2</sup> *Circumactu.*] H.; circumactu, MSS.

morbos et mortes gigneret plurimorum: quod utique præcavendum crebris in re consimili clarebat exemplis. Conduxerunt itaque decem juvenes audacia insignes qui corpus <sup>1</sup>infandum effoderent, et membratim exsectum redigerent in combustionem et cibum ignis. Quod et factum est et cessavit quassatio. Nam et ipsum monstrum, dum circumferetur a Sathana, sicut dictum est, quibusdam forte obvium dixisse perhibetur quod eo incombusto populus requiem <sup>2</sup>habiturus non esset. Eo ergo combusto data quidem videbatur populo requies: sed exorta consequenter lues majorem illius populi partem absumpsit. Nusquam enim alibi tam dire desæviit, cum in cunctis ipso tempore extiterit Angliæ finibus generalis, ut suo loco plenius exponetur.

Richard I.  
A. D. 1196.  
Similar occurrences at  
Berwick

## CAP. XXIV.

*De quibusdam <sup>3</sup>prodigiosis.*



SANE quod mortuorum cadavera de sepulchris egredientia nescio quo spiritu ad viventium vel terrorem vel perniciem circumferantur, et ad eadem sepulchra sponte se illis aperientia revertantur, non facile in fidem reciperetur nisi et crebra nostri temporis exempla suppeterent et testimonia abundarent. Mirum plane si talia olim contigere, cum nihil tale in libris veterum reperitur, quibus utique ingens studium fuit memora-

and elsewhere.

<sup>1</sup> *Infandum.*] H. L.; nefandum, C. | non haberet, C.

<sup>2</sup> *Habiturus non esset.*] H. L.; | <sup>3</sup> *Prodigiosis.*] H. L.; prodigiis, C.



Richard I.  
A. D. 1196.  
Legends.

bilia quæque litteris mandare. Cum enim quædam etiam modica conscribere nequaquam neglexerint, quomodo rem tanti stuporis simul et horroris, <sup>1</sup>si forte illo seculo contigit, suppressere potuere? Porro si velim omnia hujusmodi scribere quæ nostris contigisse temporibus comperi, nimis operosum simul et onerosum erit. Duo tantum recentis memoriæ supra memoratis annectere, et nostræ historiæ, quoniam se præbet occasio, ad posterorum cautelam inserere libet. Ante annos aliquot cujusdam illustris feminae capellanus exuens hominem, apud nobile illud cœnobium quod <sup>2</sup>Mailros dicitur sepulturam accepit. Qui nimirum sacri ordinis, quo pollebat, in modico habens respectum, supra modum secularis extiterat, et maxime quod divinorum confectorem sacramentorum denigrabat, adeo venatoriæ deditus vanitati ut infami elogio a plurimis Hundeprest, id est Canum presbyter, diceretur. Et quidem hoc dum viveret vel ridebatur ab hominibus vel humanius pensabatur, post mortem vero ex eventu reatus ejus claruit. Noctibus siquidem tumulto exiens, in ipso quidem monasterio, obsistentibus habitantium sanctorum meritis, non poterat quenquam terrere vel lædere. Porro extra monasterium oberrabat, et maxime circa cubiculum propriæ quondam dominæ cum ingenti fremitu et horrendo murmure ferebatur. Quod cum sæpius fieret, illa supra modum anxia, magnitudinem sui vel pavoris vel periculi venienti ad se pro causa monasterii cuidam ex fratribus intimavit, lacrimabiliter postulans uti solito impensiores pro ea tanquam in agone posita preces Domino funderentur. Cujus

---

<sup>1</sup> *Si forte.*] H. C.; quæ, L. | <sup>2</sup> *Mailros.*] C. H.; Mairlos, L.



anxietati frater ille, nam de sancto loci illius collegio crebris beneficiis optime merita videbatur, pie justeque condoluit, et citum remedium de misericordia summi provisoris spopondit. Rever-  
susque ad monasterium, alium sibi constantis æque animi fratrem et duos juvenes validos socia-  
vit, cum quibus cœmiterium ubi sepultus erat infelix ille presbyter pervigil custodiret. Hii ergo quatuor, animis armisque instructi, mutuo tuti solatio pernoctabant in loco. Noctis jam medium fluxerat, et nihil monstri apparuit. Unde factum est, ut, relicto ibidem solo illo qui ceteros sibi aggregarat, tres in proximam ædem secederent, ut frigus nocturnum, quod causabantur, igne le-  
verent. Cum ergo solus ille in loco persisteret, aptum se tempus ut fiduciam hominis frangeret invenisse diabolus æstimans, illico vas proprium, quod solito diutius quievisse videbatur, excitavit. Quo eminus conspecto, ille pro eo quod solus erat primo dirigit: sed mox resumpta fiducia, cum locus non esset effugii, impetum pestis cum terribili murmure irruentis fortiter excipiens, bi-  
pennem, quam manu gestabat, alte corpori ejus infixit. Accepto <sup>1</sup> illa vulnere, sonore ingemuit: et <sup>2</sup> conversa, non segnius quam advenerat, abiit, cum homo mirabilis fugientem a tergo urgeret, et sepulchrum proprium repetere cogeret: quod illi se ultro aperiens, suscipiensque hospitem a facie insequentis, eadem facilitate mox clausum appa-  
ruit. Quibus actis, qui nocturni frigoris impati-  
entes ad ignem secesserant vel sero accurrunt, et auditis quæ acciderant ad effodiendum tollen-  
dumque de medio cadaver maledictum summo

Richard I.  
A. D. 1196.  
Legends.

<sup>1</sup> *Illa.*] H. L.; illo, C.

<sup>2</sup> *Conversa.*] H. L.; conver-  
sus, C.



Richard I.  
A. D. 1196.  
Legends.

mane necessarii cooperatores fuerunt. Quod cum egesta humo nudassent, ingens in eo vulnus quod acceperat, et cruoris plurimum qui ex vulnere fluxerat, in sepulchro invenerunt. Sublatum igitur extra septa monasterii comburentes, cineres quoque disperserunt. Hæc nimirum prout a viris religiosus accepi, simplici narratione digessi. Item aliud non dissimile sed perniciosius contigit apud castellum quod Anantis dicitur, prout accepi a sene religioso qui clarus et potens in partibus illis extiterat, et in sua hoc ipsum præsentia factum memorabat. Quidam vir malæ actionis metu vel legum vel hostium ex Eboracensi provincia ad Dominum memorati castelli, cui notus erat, confugiens, ibidem resedit: et sortitus ministerium suis moribus aptum, augere magis proprias quam corrigere studuit pravitates. Uxorem duxit, in propriam sane perniciem, ut postea claruit. Audiens enim de ipsa quædam, spiritu zelotypiæ vexabatur. Cupiensque an vera essent dignoscere, finxit se longius iturum, nec rediturum nisi post dies aliquot. Reversus autem vespere, atque in cubiculum clanculo per ancillam consciam intro-missus, super trabem cubiculi uxoris imminentem latuit, oculis probaturus si quid ibidem contra thori fidem ageretur. Vidensque uxorem cum vicino juvene fornicantem, præ ira immemor sui effectus <sup>1</sup>decidit, graviterque se juxta ipsos cubantes ad terram elisit. Et mœchus quidem exilivit: uxor vero callide factum dissimulans, mol-liter erigere curavit jacentem. Ille ad se modice reversus, stuprum improperat, pœnam comminatur. At illa: "Signa" inquit "te, domine mi: aliena

---

<sup>1</sup> *Decidit.*] H. L.; cecidit, C.



loqueris : quod non tibi sed morbo imputetur quo teneris." Quassatus ergo ex casu et toto fere corpore stupidus, tanquam morbo decubuit. Quem vir memoratus, qui hæc mihi retulit, pietatis officio visitans, monuit eum de peccatis suis confessionem facere, et eucharistiam juxta morem sumere Christianum. Ille vero quid sibi accidisset, et quid uxor diceret, replicans, quod salubriter monebatur in crastinum distulit, crastinum in corpore non visurus. Nocte enim sequenti Christianæ expers gratiæ meritis malis urgentibus soporem morti sociavit. Et Christianam quidem sepulturam indignus accepit, quæ illi non profuit. Noctibus enim operatione Sathanæ de sepulchro egrediens, prosequente eum cum latratu horribili canum turba per plateas et circa domos oberrabat, cunctis ostia obserantibus, nec exire præsumentibus ad aliquod negotium ab incipientibus tenebris usque ad ortum solis, ne quis forte oberranti monstro sugillandus occurreret. Verum hæc cautela nil profuit. Nam tetri corporis circumactu infectus aer, haustu pestilenti universas morbis et mortibus domos replevit. Jamque vicus, qui populosus paulo ante fuerat, pene exinanitus videbatur, dum cladi superstites, ne et ipsi morerentur, ad partes alias commigrarent. Hanc nimirum suæ desolationem parochiæ dolens vir ille ex cujus hæc ore accepi, in sacra Dominica quæ Palmarum dicitur viros sapientes et religiosos accersire studuit, qui in tanto discrimine salubre darent consilium, et consolatione vel modica miseris plebis reliquias recrearent. Facto igitur sermone ad populum, et rite expletis venerandæ diei solemnibus, religiosos hospites cum ceteris honoratis qui aderant vocavit ad mensam. Quibus epulantibus, duo fratres juvenes, qui patrem clade

Richard I.  
A.D. 1196.  
Legends.



Richard I.  
A. D. 1196.  
Legends.

illa amiserant, sese mutuo cohortantes, "Monstrum," inquit, "istud patrem nostrum perdidit, et nos etiam cito disperdet si negligamus. Agamus ergo aliquid virile, tum propriæ salutis cautela tum in ultionem necis paternæ. Non est qui impediat, cum et in domo sacerdotis convivium celebretur, et totus hic vicus sileat tanquam vacuus. Effodiamus pestem illam, et comburamus igni." Arrepto itaque ligone satis retunso cœmeterium adeuntes fodere cœperunt. Cumque se altius fossuros esse crederent, repente cadaver non multa humo egesta nudaverunt, enormi corpulentia distentum, facie rubenti turgentique supra modum. Sudarium vero quo obvolutum fuerat conscissum penitus videbatur. Nec territi juvenes, quos ira stimulabat, vulnus exanimi corpori intulerunt: ex quo tantus continuo sanguis effluxit ut intelligeretur sanguisuga fuisse multorum. Trahentes autem illud extra vicum, rogam celeriter construxerunt. Cumque unus ipsorum diceret, cadaver pestiferum ardere non posse nisi corde extracto, alius crebris ictibus retunsi ligonis latus aperuit, et manu injecta cor maledictum extraxit. Quo minutatim discerpto et corpore jam ardente, nunciatur convivantibus quod gerebatur; et accurrentes, rei gestæ testes in reliquum esse potuerunt. Porro infernali illa belua sic deleta, pestilentia quoque quæ grassabatur in populo conquievit, tanquam igne illo qui dirum cadaver absumpserat aer jam esset purgatus, qui ejus fuerat pestilenti motu corruptus. His itaque expositis, ad historiæ ordinem redeamus.

<sup>1</sup>CAP. XXV.

*De signo quod visum est in cælo, et de expugnatione  
quorundam castellorum.*



**N** octavis Pentecostes hora diei prima apparuere in cælo duo soles, sol scilicet verus atque alius tanquam ejus æmulus. Nec facile discerni poterat uter illorum esset sol verus, nisi ex solito processu, alius vero paulo elevatior quasi sequi videbatur; malorum forte quæ subsecuta noscuntur præsaus. Quod signum oculis meis vidi cum aliis quibusdam qui mecum erant. Cumque suspensi et stupidi diuscule stetissemus, rem tam inusitatam intuentes, repente dum oculos tædio victi deflectimus æmulus ille veri solis evanuit. Nec multo post expleto induciarum tempore, quod laborantes populos modice recrearat, cruentus rursum principum furor excanduit. Totis in arma viribus ruitur: igne ferroque florentes paulo ante provinciæ corrumpuntur. Et rex quidem Francorum cum suis copiis Albemariam obsedit; rex vero Anglorum castrum quod <sup>2</sup>Nonancurtis dicitur, sui quidem olim juris sed a rege Francorum jampridem occupatum. Quo mature potitus, propulsandi hostis et solvendæ obsidionis operam sumere rogabatur a suis: sed dissimu-

Richard I.  
A. D. 1196.  
June 16.  
Appearance  
of a parhe-  
lion.

War is re-  
newed.

<sup>1</sup> Cap. XXV.] This Chapter forms the continuation of Cap. XXIV. in C.; the succeeding chapters of which are consequently one behind those of H.

and L.

<sup>2</sup> Nonancurtis.] H.; Novanturcis, L.; Nonancurcis, C.; Nonancourt on the river Eure.



Richard I.  
A.D. 1196.

lavit, sive pugnam, quæ supra modum cruenta foret, exhorrens, sive propensius de suorum, qui castellum obsessum egregie defendebant, virtute confidens. Conversus ergo ad depopulandos fines hostiles, sollicite satagebat absque mutui sanguinis discrimine avertere obsessorem. Verum ille per-  
vicaciter cœptis insistens, cum multo tandem sui exercitus sudore et sanguine castellum deditio-  
ne obtinuit et evertit. Sane hoc damnum minus contristavit regem Anglorum, quod castelli clari-  
oris receptio compensabat. Verum hoc non multo post sine sufficientibus forte munimentis inventum, recidit in manus regis Francorum. Inimicitii-  
s igitur principum magis magisque crudescentibus, reformandæ paci a bonis et sapientibus inaniter studebatur, cum ipsi ad omne consilium pacis obsurdescerent. Nam sicut scriptum est: “<sup>1</sup> Furor illis secundum similitudinem aspidis surdæ et ob-  
turantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium.” Quanquam in his regis Anglorum jus proprium repetentis causa potior, et ira pro-  
culdubio justior fuerit, ut supra ostensum est. Pace itaque desperata, cum nec ille ad resignan-  
dum quod illicite occuparat, nec iste ad quiescen-  
dum nisi jure suo redintegrato ulla potuisset ratione induci, quantum inter se superbi principes fremebant tantum et miseræ plebes gemebant. Quicquid enim delirant reges, innoxiaë plectuntur plebes.

---

<sup>1</sup> *Furor.*] Psalm lviii. 4, 5.

CAP. <sup>1</sup>XXVI.*De fame et peste per Angliam grassante.*

AGGRAVATA est etiam ipso tempore manus Domini super populum Christianum, vesaniæ scilicet principum vastanti provincias jungens famem et pestem, ut pene illud in nobis propheticum completum esse videatur: “<sup>2</sup> Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli.” Et quidem fames intempestivis edita imbribus, per annos jam aliquot Galliæ Angliæque populos vehementer attriverat, sed regibus inter se debacchantibus plus solito invaluit. Cumque vulgus pauperum <sup>3</sup>passim inedia <sup>4</sup>deperiret, secuta est e vestigio, tanquam ex pauperum mortibus aere corrupto, pestis sævissima, quæ et illis quibus alimenta abundabant minime parceret, et indigentibus longum famis cruciatum breviaret. In aliis sane regionibus quomodo illius se temporis res habuerint minus nobis constat; de Anglia vero quod scimus loquimur, et quæ vidimus eo tempore testamur. Serpebat effusa lues, uno tantum morbo, febre scilicet quæ acuta dicitur, per singulos dies <sup>5</sup>tam multos conficiens, ut vix invenirentur qui vel curam languidis vel sepulturam mortuis <sup>6</sup>exhiberent. Consuetus funeris apparatus cessabat:

Richard I.  
A. D. 1196.England afflicted with  
famine and  
plague.<sup>1</sup> XXVI.] H. L. R.; XXV.<sup>2</sup> Plaga.] Jeremiah xxx. 16.<sup>3</sup> Passim.] H. L. R.; omitted<sup>4</sup> Deperiret.] H. L. R.; deper-

risset, C.

<sup>5</sup> Tam multos conficiens.] L.;  
tam multos corripiens, tam multos  
conficiens, C. H. R.<sup>6</sup> Exhiberent.] H. L. R.; exhiberet, C.



Richard I.  
A. D. 1196.

et quacunque hora diurna quis obiisset mox matri terræ reddebatur, nisi cum forte aliquis nobilior vel ditior decessisset. In plerisque etiam locis receptui cadaverum fiebant fossæ non modicæ, cum propter morientium multitudinem facultas non esset singillatim singulos juxta morem humare. Cum ergo tam multi cotidie morerentur, etiam incolumes animo languebant, et vultu pallebant, et moribundis similes incedebant, tanquam continuo morituri. In solis autem monasteriis eadem labes minime grassabatur. Quæ nimirum postquam per quinque vel sex fere menses passim desæviit, tandem, hiemali rigore consopita, quievit. Porro hac tam crudeli clade <sup>1</sup>altercantium principum duriores animi fuere, qui in studio belligerandi hiemem æstati et autumnio junxere.

## CAP. XXVII.

*Quomodo Alemanni secundo signum Dominicum  
susceperunt.*

A. D. 1195.  
The English  
hostages re-  
leased by the  
emperor of  
Germany.



**S**ANE rex Anglorum paulo ante obsides suos apud Teutonicum imperatorem relictos absolute receperat, persoluta illi pactæ redemptionis summa. Quibus receptis, dixisse fertur a captivitate Alemannica tunc primo sibi se redditum. Liberatus itaque ab <sup>2</sup>exactore tam gravi, intentione integra bellicis negotiis insistebat: de reversione in Syriam, cui se inde rediens devoverat, nihil vel tepide cogitans, non illi imputetur; necessitate

<sup>1</sup> *Altercantium.*] H. L. R.; | <sup>2</sup> *Exactore.*] C. H. L.; exac-  
alternantium, C. | tione, R.



siquidem, quam primo per imperatorem Teutonicum, ac deinde per regem Francorum patiebatur, apud sobrios judices facile excusatur. Porro idem imperator, ut quasi expiaret quod in Christianum principem ab Oriente revertentem tam foedæ avaritiæ instinctu commiserat, et pecunias quibus Angliam nudaverat piis usibus applicaret, Orientalis ecclesiæ miserandis reliquiis subvenire decrevit. Considerabat etiam per se actum quod duo illi magni reges, relictis quæ Christi sunt, sua tantum quærerent, et feralibus in alterutrum odiis debacchando vires more tyrannico frangerent Christianas. Cupiens ergo hanc jacturam religiosa opera compensare, anno a partu sacræ virginis M. C. XCV. circa solemnitatem beati Andreæ apostoli, convocatis apud Gormaciam primis imperii ecclesiasticis pariter laicisque personis, et devotione propria cunctis declarata, ad æmulandum pro Christo sublimi exemplo provocavit plurimos. Denique sedente eo solemniter in cathedrali ecclesia continuis octo diebus, et consedente, qui ad hoc ipsum venerat, apostolicæ sedis legato cum omni frequentia inclytorum: hiis quoque qui sapientia, dignitate et facundia præcellebant, per singulos dies in auribus Christianæ multitudinis potenti eloquio declamantibus: tantus fidei et devotionis in animis audientium fervor incanduit, ut fas esset dicere, "Digitus Dei est hoc." Magnis præsulibus et præclaris ducibus cum multitudine virorum fortium Dominicum characterem per dies singulos certatim sumentibus, ipse quoque imperator paratus fuit eodem signo cum ceteris insigniri. Verum hoc ab omnibus altiori consilio dissuasum est, allegantibus Christianæ expeditioni conducere, ut in imperio manens, de victualibus progressu exercitui pro tempore transmittendis

Richard I.  
A. D. 1195.

Who makes  
preparations  
for a Crusade,

and convokes  
the states at  
Worms.

A. D. 1195.



Richard I.  
A. D. 1195.

propensiori cura satageret, et, cum res posceret, laborantibus supplementa militiæ mitteret. Itaque <sup>1</sup>secunda in Syriam Germanicarum atque Italicarum gentium expeditio totis viribus parabatur, cum reges nostri nil sanum aut sobrium meditantés, proprio tantum <sup>2</sup>ad multorum discrimen indulgerent furori.

## CAP. XXVIII.

*De dissensione regis Ricardi et Rothomagensis archiepiscopi.*

A. D. 1197.  
Dissension  
between the  
king and  
Walter arch-  
bishop of  
Rouen.



**H**IS diebus orta est dissensio inter regem Ricardum et Galterium Rothomagensis archiepiscopum: tanto fœdior quanto majori prius videbantur amicitia cohærere. Idem enim pontifex eidem principi et ante regnum et in regno devotus semper et fidelis extiterat, ejusque sibi animum multis et præclaris obsequiis obligarat. Denique ipso Orientalem expeditionem ingrediente, domi pro officio residere non passus, ne illi vel ad tempus deesset animo subeundi quælibet cum eo discrimina, usque in Siciliam una progressus est. Rex vero idem audiens tyrannicos mores Eliensis episcopi, cui regni custodiam regimenque crediderat, remisit eum in Angliam, datis memorato episcopo mandatis ut eum in administratione regni per omnia collegam ascisceret. Verum ab homine singularem gloriam amante ad collegium non admissus, sustinuit siluitque ad

<sup>1</sup> *Secunda.*] C. H. L.; omitted R.

<sup>2</sup> *Ad.*] C. H. L.; omitted R.

tempus. Illo vero post modicum a regni <sup>1</sup>nobilibus fastum ejus non ferentibus fortiter debellato atque ignominiose expulso, voto et decreto generali suscepti regni curam laudabili moderamine gessit. Cumque post diutinam in Germania detentionem, pactis tandem cum imperatore celebratis, mature liberandus speraretur, devotum sibi præsulem accersendum putavit, eumque non invitum apud imperatorem pro summa non modica obsidem reliquit. Rege vero in regnum regresso, bellicisque intento negotiis, idem pontifex in gratiam ejus imperatori de proprio, ut dicitur, satisfaciens, ad <sup>2</sup>propria cum gloria remeavit. Verum princeps bellica quadam necessitate quæ plerumque et amicis non parcat, minorem illi gratiam quam sperabat <sup>3</sup>rependit: præsertim cum Eliensis episcopus ad auriculam principis frequenter pro officio positus, nam cancellarius erat regius, illi apud principem plurimum derogaret. Infestus quippe illi erat causa superius memorata. Exasperatus <sup>4</sup>ergo pontifex propter quædam de jure ecclesiæ suæ a rege præsumpta, cum rex bellicam necessitatem obtendens nequaquam illi ad præsens satisfaceret, sed bellis cessantibus satisfactionem promitteret, apostolicæ sedis judicium appellavit, et suspensis in sua diœcesi divinæ laudis organis, Romam contendit. Responsales quoque regii e vestigio secuti, in conspectu summi pontificis in faciem illi restitere: ea quidem quæ ab eo contra regem proponebantur minime inficientes, sed necessitatem regiam verbis ad deprecandum com-

Richard I.  
A. D. 1197.  
Dissension  
between the  
king and  
Walter arch-  
bishop of  
Rouen.

The arch-  
bishop appeals  
to Rome.

<sup>1</sup> *Nobilibus.*] H. L. R.; nobilioribus, C.

<sup>2</sup> *Propria.*] C. H. R.; propriam, L.

<sup>3</sup> *Rependit.*] C. H. L.; impendit, R.

<sup>4</sup> *Ergo.*] C. H. R.; vero, L.



Richard I.  
A. D. 1197.

positis excusantes. Tunc summus pontifex actori dixisse fertur: "Nota est orbi terrarum injusta regis Anglorum vel captivatio ab Oriente, ubi Christo militaverat, cum signo ejusdem militiæ revertentis, vel spoliatio grave et diutinum sub cathena Alemannica tædium patientis. Debuit ergo tua discretio pro tempore dissimulare, etiam si majora quam proponis ratione necessitatis bellicæ attentasset." Hæc dicens, principi quidem tanquam fatigato injuriis et justum bellum gerenti morem gerere studuit; pontificem vero alias delinitum atque placatum ad propria remisit.

# <sup>1</sup>CAP. XXIX.

*De morte Eliensis episcopi, qui cancellarius potius meruit appellari.*

A. D. 1198.  
Death of the  
chancellor  
Longchamp.



SANE inter eos quos idem rex pro sua causa Romam proficisci voluit, clariores fuisse videntur Eliensis episcopus, qui et cancellarius regius, et <sup>2</sup>Dunelmensis electus, qui Romam veniens, a summo pontifice ordinari meruit. Cancellarius vero a rege digressus morbo occubuit, quo ingravescente post dies aliquot vitam <sup>3</sup>finivit; jam non coram Romano pontifice causam regis Anglorum acturus, sed ad tribunal regis Angelorum pro seipso rationem redditurus. De hoc quidem episcopo, qui a paucis quidem episcopus ab

<sup>1</sup> Cap. XXIX.] This and the following chapter are omitted in R.

<sup>2</sup> Dunelmensis electus.] Philip

of Poitiers.

<sup>3</sup> Finivit.] Longchamp died on the 31st of January.

omnibus vero cancellarius dicebatur, eo quod a tempore ordinationis suæ longe magis palatio quam ecclesiæ militaret: de hujus, inquam, episcopi moribus et actibus, et qualia circa illum propter intolerabilem ejus fastum provenerint, cum ei memoratus princeps Orientalem peregrinationem ingressurus administrandum in Anglia rerum summam credidisset, suo loco superius expositum est. Expulsus ergo ab Anglia, atque in Galliis pro tempore exulans, cum eundem regem ab Oriente revertentem Alemannica teneri cathena audisset, ocius eum visitare curavit, quo et suæ circa eum devotionis comprobaret fervorem, ejusque in posterum propensio-rem obsequiis mercaretur favorem. Assistens ergo vincto insigni toto tempore sortis indignæ, in multis ei necessarius extitit: et si quid forte contra se pro rebus in Anglia turbatis animo principis sederat, novæ sedulitatis officiis abolevit. Mutata vero circa regem fortuna in Angliam cum ipso reversus, et rebus in Anglia compositis transfretantem ad bellum transmarinum secutus, cancellarii officio strenueungebatur: sacerdotio vero ita, ut expers sollicitudinis et oneris pastoralis tantummodo ad honorem et com-  
moda episcopus esse videretur, et nomine episcopi per nomen cancellarii adumbrato, a paucis episcopus diceretur. Denique principi bellum atrox et cruentum cum Francis gerenti per annos aliquot seculari magis quam episcopali industria collaborans, tandem, ut dictum est, morbo defecit. Lætata est Anglia in morte ejus, quia incubuerat timor ejus super illam. Cum enim et apud principem plurimum posset, et suæ olim ab Anglia ignominiosæ extrusionis homo ingentis animi immemor esse non posset: manifestum erat, quod terræ, quæ illum evomuerat tanquam humorem

Richard I.  
A. D. 1198.  
Death of the  
chancellor  
Longchamp.

This event  
the cause of  
rejoicing in  
England.



Richard I.  
A. D. 1198.

pestiferum, crebro machinaretur malum. Quem ergo Angliæ nobiles non frustra formidaverant vivum, parcius flevire defunctum.

### CAP. XXX.

*Quomodo finitum est bellum breve Britannicum, et  
quadragenarium Tholosanum.*

A. D. 1197.  
The Bretons  
make peace  
with Eng-  
land.



Marriage of  
the earl of  
Toulouse  
with Joan,  
king Ri-  
chard's sis-  
ter.

War with  
France.

**N**UNC diebus Britones, qui a rege Anglorum jam pridem desciverant, vasta finium suorum per cohortes regias depopulatione coerciti, in ejusdem regis fœdus et gratiam cum suo Arthuro rediere. Bellum quoque Tolosanum, quod illustri Anglorum regi Henrico et filio ejus Richardo res summi negotii fuerat, et per annos quadraginta vires multorum attriverat populorum, eodem tempore, Deo propitio, expiravit. Comes enim Sancti Egidii, pactis cum rege Anglorum celebratis, sororem ejus, quæ olim regi Siciliæ nupserat, et eo præmature defuncto ad fratrem redierat, cum ingenti gloria conjugem duxit, atque hoc modo inveteratum illud odium conquievit. Itaque rex Anglorum, qui ad tria bella quasi trifariam divisus fuerat, atque ideo minus in singulis poterat, duobus finitis, Britonico scilicet et Tolosano, ad tertium, quod cum rege Francorum gerebat, integer redditus, cœpit robustius agere et terribilior hostibus apparere. Certabatur autem utrimque totis viribus: tantusque erat debacchantium furor, ut nec sacris Quadragesimæ diebus deferrent, deprædationibus atque incendiis loca prius florentia corrumpentes, nec sacerdotibus Domini, si forte inciderent, secus quam populari-

bus parcendum ducentes. Sane tam longa tamque exitialis concertatio principum detrectantium concordiam poterat saltem per unius partis victoriam breviari, si convenire et congredi voluissent. Verum hoc si quando alter eorum virium suarum fiducia voluit, alter ancipitem formidans eventum caute declinavit. Denique nocendo alterutrum dum alter alterum fatigando et lassando frangere studuit: uterque bellum sub expectatione melioris fortunæ protrahere, quam per incerti victoris gloriam mature terminare maluit.

Richard I.  
A. D. 1197.

## CAP. XXXI.

*De captione episcopi Beluacensis.*

**ANNUS** a partu Virginis M. C. nonagesimus septimus vertebatur, et furor principum minime deservebat, tanquam juvenis manum Domini iramque ejus accumulans super populum Christianum. Nam famis validæ, quæ Galliæ Angliæque regiones vehementer angebat, annus jam quintus currebat. Sane rex Francorum, qui anno præcedenti fortius egisse videbatur, coepit remissius agere, et fines proprios mollius tueri. Rex vero Anglorum paulatim augebatur viribus et prosperabatur magis. Denique vicum insignem, qui dicitur sancti Walarici, repente aggressus, potenter effregit, portum commeatibus abundantem obtinuit, opes abstulit, munitionem evertit, præda onustus abiit. Nec multo post in pago Beluacensi castrum quod Milliæcum dicitur per suos expugnavit, moxque thesaurum reperit, id est, successum spe majorem. Beluacensis enim episcopus, homo

Fifth year of  
the famine.



Richard I.  
A. D. 1197.  
The bishop of  
Beauvais  
taken pri-  
soner by king  
Richard,

and confined  
in the castle  
of Rouen.

ferocis animi, et propinquitate regia inclytus, audiens Milliaccum oppugnari, sumptis propere armis, non suis, id est, militiæ secularis non spiritualis, cum armata multitudine contra hostes audacter egressus, et fortiter cum eis congressus, bellicosus magis pontifex quam religiosus apparuit, sed fortunam non recte culpavit. Nam judicio Dei victus, <sup>1</sup>captus et vinctus cum quibusdam aliis nobilibus, regi Anglorum, cui tam in Orientali expeditione et Alemannicis vinculis, quam regresso ad propria, supra modum infestus extiterat, gratissimum munus oblatus est. Cumque Rothomagi vinctus servaretur, duo, ut dicitur, ex familiaribus clericis ejus supplices ad regem venerunt, postulantes gratiam, ut sibi liceret domino suo in vinculis ministrare. Quibus ille, "Vos," inquit, "judicate inter me et dominum vestrum. Ut enim quæ mihi vel intulit, vel molitus est mala, oblivioni tradantur usque ad unum: certe ab Oriente rediens, et detentus ab imperatore Romano, respectu personæ regiæ mollius tractabar, et cum decenti honore servabar. Superveniens autem idem dominus vester vespere, cujus rei gratia venerit, et apud imperatorem nocte quid egerit, expertus sum mane. Aggravata est enim super me manus imperatoris, tantoque mox oneratus sum ferro, quantum equus vel asinus ferre vix posset. Juste ergo decernite, qualem dominus vester habere custodiam debeat apud me, qui talem mihi fecit apud detentorem meum." Clerici vero ad hæc non habentes quid dicerent, frustrati <sup>2</sup>abierunt. Bellicosus itaque pontifex servabatur in vinculis,

---

<sup>1</sup> *Captus.*] He was taken fighting in complete armour, by Brabanters in Richard's service.  
<sup>2</sup> *Abierunt.*] H. L. R.; de-  
